





35.











ROB. BELLARMINI

Politiani ex Soc. Jesu

S. R. E. Cardinalis

CHRISTIANÆ  
DOCTRINÆ

LATIORE  
EXPLICATIO.

*Editio Postrema*

*plurimis locis emendata.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ  
Sumptibus WILHELMI METTERNICH

*Cum Permissu Superiorum.*

Anno M. DC. XCVIII.





1924 K 3560





E X P L I C A T I O  
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

*Quæ sit doctrina Christiana, & quæ  
illius partes principales.*

CAPUT I.

Disci-  
pulus.



Um intelligam  
cognitionem  
doctrinæ Chri-  
stianæ ad salu-  
tem necessariã  
esse, imprimis

mihî declarari desidero, quænam do-  
ctrina Christiana sit.

*Magister.* Doctrina Christiana bre-  
ve quoddam compendium sive sum-  
marium est, eorum omnium quæ Chri-  
stus Dominus noster, cum viam nobis  
salutis monstraret, edocuit.

*D.* Quænam sunt principales & ma-  
gis necessariae partes hujus doctrinæ?

*M.* Hæ quatuor, videlicet: Symbo-  
lum Apostolorum, Oratio Dominica,  
A 3 decem



## EXPLICATIO

decem præcepta, & septem Sacramenta.

**D.** Quare quatuor tantum partes sunt, & neque plures neque pauciores?

**M.** Quia tres etiam principales virtutes sunt, videlicet, Fides, Spes & Caritas, Symbolum enim Apostolorum ad fidem est necessarium: docet namque quæ credere debeamus. Oratio Dominica necessaria est ad spem, quippe quæ speranda nobis proponat. Decem præcepta ad charitatem necessaria sunt, cum ea doceant, quæ nobis ut Deo placeamus, sunt facienda. Denique septem Sacramenta etiam sunt necessaria, quia sunt instrumenta per quæ obtemus & conservamus virtutes, quas jam diximus ad salutem esse necessarias.

**D.** Da quæso similitudinem, per quam harum quatuor partium necessitatem melius intelligam.

*Serm. 22  
de ver-  
bis Dom.*

**M.** S. Augustinus desumit similitudinem à domo. Quemadmodum enim ad structuram domus primò necessaria est fundamenti collocatio, deinde murorum inædificatio subsequitur, ac denique recti impositio: ad quæ omnia varia requiruntur instrumenta: sic ad structuram salutis in anima nostra faciendam opus est fundamento fidei, muris spei, ac recto charitatis: denique instrumentis, quæ sunt ipsa sanctissima Sacramenta.

CA.



CAPUT II.

*Explicatio signi sanctissima Crucis.*

D. PRIUSquam primam hujus doctrinae partem inchoes, optarem ut mihi specimen aliquod credendorum proponeres, cum rudi succinctaque mysteriorum, quae magis necessaria sunt explicatione.

M. Rectè mones, & sic faciam. Itaque nosse debes duo esse principalia fidei nostrae mysteria, quae utraque in signo S. Crucis continentur. Primum est Unitas ac Trinitas Dei: alterum Incarnatio ac Passio Salvatoris.

D. Quid sibi vult Unitas ac Trinitas Dei?

M. Haec sunt admodum sublimia & quae deinceps in progressu doctrinae hujus paulatim explicabimus. Nunc satis fuerit, si ipsa nomina teneas & quoad fieri potest intelligas. Unitas Dei significat, variens aliquod omnes res creatas longè transcendens, quod nullum habeat principium: sed semper fuerit, semperque futurum sit. Illud ipsum omnes res alias creavit, easque conservat & gubernat: estque praeter omnibus altissimus, potentissimusque rerum omnium



Dominus. Et hic Deus vocatur: qui unicus est, siquidem non nisi una vera Deitas esse potest, hoc est unica natura & essentia, infinite potens, sapiens, bona &c. Quo non obstante invenitur hæc Deitas in tribus Personis, nempe in Patre, Filio, ac Spiritu sancto: quæ tres Personæ unus Deus sunt, quia eandem Deitatem atque essentiam habent, Exempli gratia: Si darentur hic in terris tres personæ Petrus, Paulus, Joannes, qui omnes eandem animam idemque corpus haberent, dicerentur quidem tres personæ, quia una foret Petri, altera Pauli, tertia Joannis; sed tamen unus homo essent, non tres homines, utpote qui neque tres animas, neque tria corpora haberent, sed unum corpus & unam animam. Hoc quidem in humanis fieri non potest, quòd essentia hominis, utpote exilis atque finita, in pluribus personis esse nequeat. Verum Dei essentia ac Divinitas, cum infinita sit, ideo illa eadem quæ est in Patre, est etiam in Filio ac Spiritu sancto. Itaque tres Personæ sunt: nam una Patris est, altera Filii, tertia Spiritus sancti: unus tamen Deus sunt & cum unam eandemque Deitatem, eandem essentiam, potentiam, sapientiam, bonitatemque habeant.

D. Quid est Incarnatio & Passio Christi



Christi Salvatoris nostri?

*M.* Scire debes, secundam in Trinitate Personam, quam Filium nominamus, præter esse suum divinum, quod ante mundi creationem, imò ab omni æternitate habuit, humanam naturam integram & perfectam in utero purissimæ Virginis assumpsisse: & hoc pacto ille qui antè solummodò Deus erat, ex inde Deus & homo esse cœpit, Qui postquam triginta tribus annis cum hominibus conversatus fuisset, viam salutis demonstrans, multaque patrans miracula, tandem in Crucem se tolli permisit, in eaque expiravit, ut Patri pro totius mundi peccatis satisfaceret. Verùm tertio post mortem die ad vitam rediit, & quadragesimo die post resurrectionem cœlos ascendit, ut in explanatione Symboli deinceps dicemus. Et hæc est Incarnatio ac Passio Salvatoris.

*D.* Quamobrem hæc præcipua sunt fidei nostræ mysteria?

*M.* Quia prius hominis principium finemque ultimum complectitur; posterius verò unicum ac efficacissimum medium continet ad primum hoc principium cognoscendum, finemque ultimum consequendum. Deinde quia per fidem confessionemq; horum duorum mysteriorum à falsis Gentilium, Turcarum, Judæorum & Hæreticorum sectis



discernimur. Denique quia sine fide & confessione horum duorum mysteriorum salvari nemo potest.

*D.* Quo pacto hæc mysteria in signo Crucis comprehenduntur?

*M.* Crucem formantes dicimus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: signamusque nos interim per modum Crucis. Dextera enim frontem tangimus dicendo, In nomine Patris, dein pectus, dicendo, & Filii: denique attollimus dexteram, & à sinistro humero ad dexterum progredimur, dicendo, & Spiritus sancti. Vox, In nomine, significat unitatem Dei: dicimus enim, in nomine, non, in nominibus. Item per illud, in nomine, divina potentia & autoritas designatur: quæ in tribus personis una eademque est. Porro verba, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Trinitatem personarum demonstrant. consignatio vero ipsa, quia per modum Crucis fit, Passionem, & consequenter etiam Incarnationem Filii Dei repræsentat. Progressio autem manus dextera à sinistro humero ad dexterum, non contra à dextero ad sinistram, significat nos per Passionem Domini nostri à transitorijs ad æterna, & à morte ad vitam translatos esse.

*D.* Quibus de causis signum Crucis formamus?

*M.* Pri-



DE DOCTO CHRISTO. 9

M. Primò quidem, ut testemur nos Christianos esse, id est, milites Christi Imperatoris nostri, quod Symbolum quoddam, & tamquam vexillum sit, quo milites Christi ab hostibus Ecclesiæ distinguantur, quales sunt Pagani, Judæi, Turcæ, & Hæretici. Secundò, formamus hoc signum Crucis etiam ideo, ut divinum auxilium in omnibus actionibus nostris invocemus. Nam hoc signo SS. Trinitas invocatur per merita Passionis Christi. Et propterea consueverunt boni Christiani hoc sibi signum imprimere, quando aut lecto consurgunt, aut domo exeunt, aut mensæ accumbunt, aut cubitum concedunt aut aliquod negotium adoriuntur. Denique utimur hoc signo, ut adversus diabolicas tentationes armemur. Nam quemadmodum malefactores visus fascibus, sic diabolus signo hoc viso perterritus & fugit. Et per hoc signum Crucis sepius liberatur homo à multis tam spiritualibus, quam temporalibus periculis, si cum fide ac fiducia divinæ misericordiæ, meritorumque Christi qui in ea mortuus est, utatur.

a Tev  
vull. do  
edroin  
milit. c.

b Aug  
83 94  
9.74



## CAPUT III.

*Declaratio XII. Articulorum  
Symboli.*

*Leo ep. 17  
ad Pul-  
cheriam.* **D.** VENIAMUS nunc ad primam do-  
ctrinæ Christianæ partem. Do-  
ce me quæso Symbolum Apostolo-  
rum.

**M.** Symbolum Apostolorum duo-  
decim partibus constat quos articulos  
vocamus, suntque duodecim, pro nu-  
mero Apostolorum, à quibus compo-  
siti sunt, videlicet:

1. Credo in Deum Patrem omni-  
potentem, Creatorem cœli & terræ.

2. Et in JESUM Christum Filium e-  
jus unicum, Dominum nostrum.

3. Qui conceptus est de Spiritu san-  
cto, natus ex MARIA Virgine.

4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus,  
mortuus, & sepultus est.

5. Descendit ad inferos: tertia die re-  
surrexit à mortuis.

6. Ascendit ad cœlos sedet ad dex-  
teram Dei Patris omnipotentis.

7. Inde venturus est judicare vivos  
& mortuos.

8. Credo in Spiritum sanctum.

9. Sanctam Ecclesiam Catholicam:  
Sanctorum Communionem.

10. Res



10. Remissionem peccatorum.

11. Carnis resurrectionem.

12. Vitam æternam. Amen.

D. Explica mihi verbotenus primum  
Articulum. Quid sibi vult, Credo ?

M. Tantundem est, atque si dice-  
ret, firmiter & indubitante assentior  
omnibus illis, quæ his 12. Articulis com-  
prehenduntur: idque ideo, quòd ipse-  
met Deus Apostolos suos eos docuerit  
Apostoli verò Ecclesiam, & Ecclesia  
illos tradiderit nobis. Et quia impossi-  
bile est mentiri Deum, ideo credo res  
illas multò firmitus quàm quas vel o-  
culis video, vel manibus contecto.

D. Quid est in Deum ?

M. Idem est ac si diceret: Firmiter  
credo unum Deum esse, tametsi illum  
corporalibus oculis non videam: Et  
quod ille Deus unus sit; quæpropter  
dicit, in Deum, & non in Deos. Nec  
imaginari oportet Deum alicui rei corp-  
oreæ similem esse, quantumvis ma-  
gna ac speciosa illa sit: sed contra, ima-  
ginandum Deum esse rem spiritualem,  
quæ semper fuerit ac futura sit, quæ  
omnia creaverit, omnia repleat, omnia  
gubernet, sciatque ac videat universa.  
Denique quidquid vel oculis vel imagi-  
nationi tuæ sese offert, de eo dicere de-  
bes: Quod modo mihi repræsentatur

A 6

Deus



Deus non est, Deus enim est res quædam illo infinitè melior.

*D.* Quare Deus. Pater vocatur ?

*M.* Quia revera Pater est sui unigeniti Filii, de quo in secundo articulo agemus. Deinde quia pater est omnium proborum, non per naturam, sed per adoptionem. Denique quia pater est omnium creaturarum, non per naturam nec per adoptionem, sed per creationem, quemadmodum infra hoc eodem articulo dicemus.

*D.* Quare dicitur, Omnipotens ?

*M.* Quia hoc unum est ex nominibus Deo propriis: qui licet multa ejusmodi habeat, ut esse æternum, imensum, infinitum, & similia; nihilominus hoc loco convenientissimè omnipotens vocatur, ne difficulter inducamur ad credendum, quod ipse cælos terramque ex nihilo condiderit, quemadmodum statim subjungitur. Illi enim qui omnia facit quæ vult, ideoque Omnipotens est, nihil potest esse difficile. Quod si contra dixeris. Deum mori, aut peccare non posse, & ideo non posse omnia: respondeo quòd posse mori & peccare non potentia, sed impotentia sit: ac si de milite quopiam fortissimo diceretur, quòd possit omnes vincere, nec vinci quidem ab uno, nihil sanè ipsius fortitudini detraheretur; quia vinci posse



posse fortitudo non est, sed infirmitas.

D. Quid nomen illud, Creator, significat?

M. Significat Deum omnia ex nihilo creasse, & illum solum omnia denuo in nihilum posse redigere. Possunt quidem Angeli & homines facere rem aliquam & iterum destruere; quod etiam possunt daemones: verum non possunt eam facere, nisi ex præexistente materia: neque illam in nihilum redigere, sed solum in rem aliam commutare. Sic Architectus domum ex nihilo construere non potest, sed ex lapidibus, calce, lignis aliisque id genus; neque jam constructam potest in nihilum redigere, sed in lapides, rudera, ligna, &c. Itaque solus Deus Creator vocatur, eo quod solus illo ad rem aliquam creandam præexistente materia non indigeat.

D. Quare Creator cœli & terræ dicitur? Numquid Deus etiam aërem, aquam, lapides, animantia, homines, aliaque omnia creavit?

M. Nomine cœli & terræ, illa quæque omnia intelligenda sunt, quæ cœlo terraque cohibentur: sicuti dicimus hominem constare corpore & anima; ubi certè etiam illa omnia comprehendimus, quæ in hominis corpore inveniuntur, videlicet venas, sanguinem, ossa, nervos & similia: Item omnia quæ



quæ sunt in anima, scilicet intellectum, voluntatem, memoriam, sensus interiores & exteriores &c. Sic quoque cœli nomine, aërem, volucres cœli, item nubes ac stellas cœlorum complectere, & denique Angelos: nomine verò terræ, omnia quæ aëre ambiuntur ut aquas maris ac fluminum, quæ sunt in inferioribus terræ partibus constitutæ; insuper omnia animalia, herbas, lapides, metalla, & universa vel terræ, vel maris gremio comprehensa. Itaque Deus Creator cœli & terræ dicitur, quia hæc duæ sunt partes mundi principales, una quidem superior quam Angeli inhabitant, altera inferior, in qua homines degunt: quia & hæc duæ principales creaturæ sunt, quibus reliquæ omnes interviunt: quemadmodum utraque, eo quod ex nihilo creata, & ad tam sublimem dignitatem evecta sit, ad servandum Deo est obligata.

*Secundi Articuli explicatio.*

**D.** Explica mihi nunc alterum articulum, videlicet, Et in JESUM Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.

**M.** Omnipotens ille Deus, de quo in primo articulo egimus, Filium habet verum & naturalem, quem JESUM Christi-



Christum dicimus: Et ut ruditer intelligas, quomodo Deus hunc filium suum generaverit, accipe similitudinem a speculo. Quando quis seipsum in speculo intuetur, illico producit imaginem sibi ipsi adeo similem, ut nullum possit discrimen inveniri, utpote quæ non solum vultum ejus reterat, sed etiam singulos motus, nam uti homo movetur, sic movetur & imago. Et hæc imago tam perfectè similis homini, sine ullo labore, momento temporis, sine ullo instrumento de repente formatur. Eodem pacto considera Deum cum oculo intellectus speculum Deitatis suæ intueretur, statim imaginem sibi metipsi simillimam formasse. Et quia Deus huic imagini totum esse suum, totamque naturam contulit (quod nos intuendo facere non possumus) ideo hæc imago verus Dei Filius est, tamen nostræ imagines, quas in speculo formamus, filii nostri non sint. Et hinc colliges, quomodo Filius Dei, Deus sit, perinde ac Pater Deus est, & idem Deus cum Patre, quia eandem cum Patre substantiam habet. Deinde Filium Patre non esse juniorem, sed semper fuisse, uti Pater semper fuit: quando quidem eo ipso sit genitus quo Pater seipsum intuebatur, quod fecit ab æterno. Denique intelliges Filium non cooperatione fœminæ

gene.



generatum, neque paulatim, nec ex vitiosa libidine, neque aliis imperfectionibus concomitantibus; sed ex solo Patre, sola, ut dictum est, intuitione sui ipsius, purissimoque divini intellectus oculo genitum esse.

*D.* Quare hic Filius Dei, Jesus Christus vocatur?

*M.* Hoc nomen Jesus, Salvatorem significat; Christus vero quod cognomen ejus est, significat summum Sacerdotem, & Regem Regum. Nam, ut supra in explicatione signi Crucis attigi, ideo Filius Dei factus est homo, ut sanguine suo nos redimeret, & ad salutem æternam perduceret. Atque ita postquam factus est homo, hoc Salvatoris nomen assumpsit, ut ad salvandos homines se venisse ostenderet. A Patre etiam honorifico summi Sacerdotis titulo donatus est, ac supremi Regis, quæ omnia hoc nomen, Christus, designat: à quo nomine nos Christiani dicimur.

*D.* Quare dum nominatur JESUS, aut caput aperimus, aut genuflectimus, quod alio Dei nomine audito non facimus?

*M.* Ratio est, quia hoc est proprium nomen Filii Dei, cum reliqua omnia sint communia. Item quia per hoc nomen docemur, quanto opere Deus hominem assumendo, sese propter nos humiliaverit:



liaverit: atque ideo in gratiarum actionem genua curvamus audito hoc nomine: quod non modo nos homines facimus, sed etiam Angeli Dei in cœlo, & dæmones in inferno: illi quidem ex amore, suaque sponte, hi verò timore coacti: voluit namque Deus, ut omnes rationales creaturæ curvarentur coram Filio suo, quando quidem ipse ad mortem usque crucis sese nostra causa humiliaverit.

D. Quare Jesus Christus, Dominus noster vocatur?

M. Quia unà cum Patre nos creavit: ideo enim Dominus noster est: magis verò quia per acerbos dolores suos ac labores, uti paulò post dicemus, à potestate diaboli nos in libertatem affertuit.

### *Explicatio Articuli tertii.*

D. Sequitur iam tertius articulus explicandus: Quid sibi vult, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine?

M. Explicatur hoc articulo modus novus & admirandus Incarnationis Filii Dei. Nosti omnes homines nati ex patre ac matre, matremque postquam concepit & peperit Virginem non manere, At filius Dei cupiens homo fieri, noluit



voluit habere hominem patrem, sed so-  
lam matrem, cognomento Mariam,  
quæ semper Virgo intemerata perman-  
sit. Nam Spiritus sanctus, qui est tertia  
in Deitate Persona, & unus idemque  
cum Patre ac Filio Deus, pro infinita  
sua omnipotentia, ex purissimo sangui-  
ne hujus Virginis corpus perfectissimi  
infantis, ac simul eodem momento no-  
bilissimam animam creavit, & corpori  
hujus infantis univit: & hæc omnia Dei  
Filius in suam personam assumpsit; at-  
que ita Jesus Christus, qui antea so-  
lummodo Deus erat, homo esse cœpit:  
Et quemadmodum quæ Deus, Patrem  
habuit sine matre, sic quæ homo, Ma-  
trem habuit sine patre.

*D.* Libenter exemplo aliquo aut si-  
militudine proposita intelligerem, quo  
pacto Virgo concipere potuerit.

*M.* Arcana Dei mysteria tamen si non  
intelligentur, credenda tamen sunt. plu-  
ra enim Deus facere potest, quàm nos  
intelligere: ideoque initio Symboli di-  
ctum est, Deum omnipotentem esse.  
Habemus tamen hujus rei perpul-  
chrum exemplum in mundi creatione.  
Scis terram ordinariè non producere  
triticeum, nisi prius arata sit & consita,  
made facta pluviam, & sole calefacta: &  
nihilominus in principio quando pri-  
mum granum produxit, neque arata  
fuit



fuit, neque consita, nec compluta, nec calefacta, adeoque suo modo quasi penitus Virgo fuit, & ex solius Dei omnipotentis mandato & virtute illicò frumenta produxit. Sic quoque virginalis uterus Mariæ, absque ullo humano commercio, ex solo Dei præcepto, per operationem Spiritus sancti pretiosissimum illud frumentum, scilicet animatum corpus Filii Dei produxit.

*D.* Quandoquidem Jesus Christus de Spiritu sancto conceptus est, videtur non inconvenienter dici posse Spiritum sanctum quoad humanitatem Patrem ejus esse,

*M.* Non est ita: ut enim quis alicujus rei Pater sit, non satis est quod illam efficiat: sed requiritur ut hoc faciat de propria substantia: ideoque non dicimus architectum patrem esse domus à se factæ, quia illam ex lapidibus, non verò ex propria carne construxit. Sic Spiritus sanctus fecit corpus Filii Dei non de sua propria substantia, sed de substantia Virginis: ideoque Filius Dei non est filius Spiritus sancti; sed est Filius Dei Patris in quantum Deus, quia ab illo habet divinitatem; & est filius Virginis in quantum homo, quia ab illa carnem humanam suscepit.

*D.* Quare opus Incarnationis Filii Dei adscribitur Spiritui sancto? numquid



quid etiam Pater & Filius ad illud sunt cooperati?

*M.* Quod operatur una Persona divina, id operantur simul reliquæ duæ: quoniam eandem habent potentiam, sapientiam ac bonitatem: sed nihilominus opera potentia attribuantur Patri, sapientia verò Filio, amoris denique Spiritui sancto. Cum igitur hoc opus maxime proprium amoris fuerit, quo Deus erga humanum genus exarsit, ideo Spiritui sancto tamquam proprium defertur.

*D.* Velim exemplo aliquo doceri, quo pacto tres Personæ ad Incarnationem concurrerint, & solus tamen Filius sit incarnatus.

*M.* Si unus aliquis vestem induat, & duo alii illum in induendo adjuvent, tunc omnes tres in illo opere occupantur, & tamen unus solus induitur: Sic in Incarnatione Filii Dei facienda, tres Personæ cooperatae sunt, sed solus Filius carnem induit, & homo factus est.

*D.* Quare in hoc articulo additur: Natus ex Maria Virgine?

*M.* Quia & hic magnum miraculum latet: siquidem post novem menses Filius Dei ex utero Virginis, sine dolore, & sine detrimento Virginitatis egressus est, nullum egressionis suæ signum relinquens: uti fecit etiam, cum in Resurrexerit.



surrectione sua è clauso sepulchro pro-  
diit, & quum postmodum clausis fori-  
bus in cœnaculum est ingressus; ubi  
discipuli ejus erant congregati, iterum-  
que disparuit. Et propterea dicitur ma-  
ter Domini nostri JESU Christi Virgo  
ante partum, in partu, & post partum  
permanisse.

*Explicatio Articuli quarti.*

**D.** Quomodo intelligendus est quar-  
tus articulus, Passus sub Pontio Pilato,  
crucifixus, mortuus, & sepultus?

**M.** Articulus iste mysterium utilis-  
simum continet redemptionis, cujus  
hæc est summa. Posteaquam Christus  
conversatus esset in hoc mundo trigin-  
ta tribus annis, nosque sua vita sanctissi-  
ma, & doctrina ac miraculis viam sa-  
lutis docuisset, à Pontio Pilato inno-  
center flagellatus est, lignoque crucis  
affixus, in eo mortuus, & à quibusdam  
viris sanctis sepultus.

**D.** Super hoc mysterio aliquot mihi  
dubia occurrunt, quæ ut mihi explices  
desidero, quo tanto me Deo gratiorem  
exhibeam ob tantum beneficium, quan-  
to illud melius intellexero. Dic mihi  
igitur, si Christus est Filius Dei omni-  
potentis, cur manibus Pilati à Patre  
suo non fuit ereptus? imò si ipse filius  
Deus



Deus, cur semetipsum non eripuit?

*M.* Potuisset Christus mille modis se manibus Pilati subducere, si voluisset: imò mundus universus nullo illum malo afficere potuisset, si noluisset permittere. Patet hoc ex eo quod præsciverit, discipulisque prædixerit se à Judæis ad mortem quærendum, irridendum, flagellandum ac denique occidendum: neque tamen sese abscondit, sed potius obviam inimicis suis processit, quibus se apprehendere volentibus, non tamen agnoscentibus dixit se esse quem quærebant. Et cum eodem momento illi retrosum caderent ut mortui, non fugit ut potuit, sed expectavit donec redirent ad se, & surgerent. Atque ita sese ut agnum mansuetissimum, quocumque vellent abduci permisit.

*D.* Qua de causa Christus, cum adeo esset innocens, se passus est injustè crucifigi & occidi?

*M.* Multis de causis, quarum præcipua est, ut Deo Patri pro peccatis nostris satisfaceret. Sciendum enim est offensam ex dignitate ejus qui offensus est ponderandam, contra verò satisfactionem ex dignitate satisfaciens æstimandam. Patet hoc in exemplo: si servus Principi colaphum infringat, is propter dignitatem Principis, gravissimè deliquisse censetur: at contra si

Prin



Princeps id servo faciat, id propter vilitatem servi, admodum parvi aestimabitur. Item si servus Principi caput aperiat, parvipenditur, contra si Princeps servo idem faciat, notabilis gratia esse dicetur, secundum regulam jam dictam. Quia igitur primus homo, & nos omnes cum illo, Deum qui infinitæ dignitatis est offendimus, offensa facta infinitam satisfactionem exigebat: quâ dignitate cum nec homo nec Angelus polleret, Filius Dei ipsemet venit, qui ut Deus, infinitæ dignitatis est; & assumpta carne mortali, in ea se morti Crucis ad honorem Dei subjecit, & hoc pacto, passione sua pro nostra culpa satisfecit.

*D.* Quæ est altera causa, cur Christus tam acerbam mortem subire voluerit?

*M.* Ut exemplo suo virtutem patientiæ, humilitatis, obedientiæ & caritatis nos doceret; quæ quatuor virtutes, quatuor extremitatibus Crucis designantur. Patientia enim major inveniri nequit, quàm mortem a deo ignominiosam innocenter pati; nec major humilitas, quàm quod Dominus omnium Dominorum, in medio latronum crucifigatur; nec major obedientia, quàm quod mortem potius oppetere voluerit, quàm præceptum Patris non



adimplere; nec denique major charitas, quam vitam in hostium suorum salutem expendere. Ubi nota charitatem factis potius quam verbis, & patiendo magis quam agendo demonstrari: quare Christus non solum infinitis pene in nos collatis beneficiis, sed etiam passione ac morte ipsa, quod nos ardentissime diligeret, ostendit.

*D.* Cum Christus Deus & homo sit, ut supra dictum est, & Deus ut videtur, neque mori neque pati possit, quo pacto hic dicimus eum passum & mortuum esse?

*M.* Quia Christus simul Deus & homo est, potest simul & pati & non pati; mori & non mori. In quantum Deus, non potest pati nec mori: in quantum homo, potest utrumque. Unde dixi, quod cum Deus esset, homo factus sit, ut pro peccatis nostris satisfaceret, tormentum mortis in sanctissima carne sua suscipiendo; quam utique si homo factus non fuisset, sustinere nequivisset.

*D.* Si ergo Christus Patri pro peccatis omnium hominum satisfecit, unde fit ut tot homines damnentur; & quare opus est nos pro peccatis nostris poenitentiam facere?

*M.* Christus quidem pro peccatis omnium hominum abundè satisfecit,  
sed



sed necessarium est illam satisfactionem à quolibet sibi in particulari applicari: quod fit per fidem, Sacramenta & bona opera; & præsertim per pœnitentiam: & ob hanc causam pœnitentiæ ac bonis operibus insistendum est, tamen si Christus pro nobis sit passus ac satisfecerit. Quapropter & multi dampnantur, & inimici Dei manent, sive quia fidem recipere recusarunt, ut Judæi, Turcæ, hæretici: sive quia Sacramenta suscipere noluerunt, ut sunt ii qui baptismum admittere renuunt, aut confiteri: sive etiam qui peccata sua per pœnitentiæ opera diluere non contendunt, neque divinis præceptis congruenter vivere proponunt.

D. Velim id mihi aliquo exemplo declarari.

M. Sume exemplum ab eo, qui multo labore ac sudore tantam pecuniæ summam lucratus esset, quæ ad universa hujus urbis debita dissolven- da sufficeret, eamque ad mensam daret, distribuendam vis omnibus & solis, qui ejus chirographum adferrent. Is certè quantum ex parte sua esset, pro omnibus satisfecisset: quantumvis multi adhuc obæratu remanerent, qui nempe aut superbia aut desidia sua, aut alio affectu ducti, dictum chirographum petere, illud ad men-

B

sam



nam afferre, & pecunias accipere noluisse.

*Explicatio Articuli quinti.*

**D.** Supradicta rectè intellexi: ut autem etiam quintum Articulum intelligam, qui sic habet. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis: peto quid sit Infernus.

**M.** Infernus est infimus & profundissimus locus totius mundi, id est centrum terræ: ideoque S. Scriptura multis locis Inferno opponit cœlum, velut locum altissimum loco infimo. Ceterum in illa terræ abyſſo quatuor distinctæ cavernæ sunt, seu magna receptacula, unum damnatorum, quod omnium profundissimum est. Sic enim convenit, ut superbi diaboli, & homines eorum sequaces sint in loco profundissimo, & à paradiso quàm maximè fieri potest remoto. In altero receptaculo, quod paulò altius est, animæ quæ pœnas Purgatorii sustinent detinentur. In tertio verò, quod utroque prædictorum adhuc altius est, sunt animæ puerorum sine baptismo decedentium, quæ ignis pœna non torquentur, sed solam pœnam dampni, id est, visionis beatificæ privationem sustinent. In quarta autem, quod tribus præ-



præcedentibus multò superius est, degebant olim animæ Patriarcharum & Prophetarum, aliorumque Sanctorum, qui ante Christi adventum obierunt: tametsi enim hæ sanctæ animæ nulla indiguerint purgatione, non ante tamen cœlestem gloriam intrare potuerunt, quam Christus morte sua æternæ vitæ portas reterasset. Quare in illo loco altiore degebant: qui etiam limbus Patrum, sive sinus Abrahæ vocatur: in quo tantum abest ut pœnam aliquam sustinerent, ut etiam jucunda quiete perfruentes, magno cum gaudio adventum Domini expectarint. Hinc in Evangelio legimus animam Lazari mendici in sinum Abrahæ velut ad quiescendum delatam esse, ubi à divite Epulone visa fuit: cum enim ille in infernalibus flammis arderet, oculos sursum levavit, & Lazarum in longe altiore loco degentem, magnoque gaudio & consolatione perfusum & fructum patientiæ suæ percipientem, conspexit.

**D.** Ad quem ergo horum quatuor locorum Inferni descendit Christus post mortem suam?

**M.** Non est dubium, quin descenderit ad limbum Patrum, eosque repente beatos reddiderit, & ad cœlestium regnum postmodum secum deduxerit.

**B a x c r i t.**



xerit. In alijs etiam Inferni locis se-  
ipsum spectandum præbuit, territando  
dæmones, ut victoriosus triumphator,  
damnatos ut supremus Judex percel-  
lendo: animas vero Purgatorii, ut  
earum advocatus & liberator conso-  
lando. Sic enim descendit Christus ad  
inferos, quemadmodum subinde Rex  
carcerem ingreditur, ut miseros invi-  
sat, gratiamque quibus visum fuerit  
præster.

**D.** Si Christus jam obierat, & cor-  
pus eius in sepulchro jacebat, ergo  
non integer Christus descendit ad in-  
feros, sed sola ejus anima: quomodo  
ergo dicitur Christus ad inferos descen-  
disse?

**M.** Tametsi mors animam Christi à  
corpore separare potuerit, non potuit  
tamen Personam divinam ab ejusdem  
Christi sive corpore, sive anima separa-  
re. Hinc credimus divinam Personam  
Christi unà cum corpore in sepulchro  
decubuisse, eandemque unà cum anima  
ad inferos descendisse.

**D.** Quomodo verificari potest Chri-  
stum tertia die à mortuis resurrexisse,  
cum à vespere diei Veneris, quando  
sepultus fuit, usque ad noctem quæ  
præcessit diem Dominicam quando re-  
surrexit, non sint duo dies integri?

**M.** Non dicimus Christum post  
tres



tres dies integros à mortuis resurrexisset, sed tertio die, quod est verissimum: nam in sepulchro die Veneris fuit, qui est primus dies et si non integer; deinde die Sabbathi solido, qui alter dies censetur; & denique aliqua parte diei Dominicæ, qui tertius numeratur. Nam dies naturales initium ducunt à vespere præcedente, quo dies à nocte ditimitur.

D. Quare Christus non fuit resuscitatus statim post mortem, sed triduum expectare voluit?

M. Ut se reverà mortuum esse ostenderet: ideo quippe tamdiu in sepulchro morari voluit, ut sufficienter hujus rei veritas probaretur. Ubi & hoc considerandum est, quòd quemadmodum Christus triginta tribus aut quatuor annis in mortali hac vita vixit, sic quoque mortis dominio triginta tribus, aut quatuor horis voluerit subesse: tot enim horæ numerantur si unam horam diei Veneris, cujus vigesima tertia hora sepultus fuit, & viginti quatuor horas Sabbathi, & octo aut novem horas diei Dominicæ computemus: fuit enim resuscitatus post mediam noctem illucescente aurora.

D. Quare de Christo dicitur quòd resurrexit, de aliis verò defunctis, ut



Lazaro & filio viduæ, quod resuscitati sint?

*M* Hujus ratio est, quod Christus existens Filius Dei, seipsum resuscitaverit, id est, virtute Divinitatis suæ animam corpori univerit, & sic de novo vivere cœperit. Alii verò mortui, cum ad vitam propria virtute redire nequiverint, ideo dicitur, quod ab alio resuscitati sint; uti in extremo judicii die omnes nos à Christo resuscitabimur.

*D.* Estne aliud insuper discrimen, inter resurrectionem Christi & aliorum qui ad vitam redierunt?

*M.* Hoc discrimen est, quod alii resuscitati sint mortales, ideoque denuo morituri: Christus autem immortalis resurrexerit, nec amplius mori possit.

*Sexti Articuli declaratio.*

*D.* Nunc ad sextum articulum progrediamur, qui de Christi ascensione agit: ubi primum scite desidero, quamdiu Christus post resurrectionem in terris manserit, & qua de causa?

*M* Quadraginta diebus mansit, uti colligere possumus ex numero dierum qui à festo Resurrectionis usque ad festum Ascensionis ejus decurrunt. Causa vero propter quam tamdiu in terris  
com-



commoratus fuit, est, ut multis diversisque apparitionibus infallibilis resurrectionis suæ mysterium stabiliret: quia mysterium illud est reliquis difficilius, quod qui credit, in aliis credendis nullam habet difficultatem. Siquidem qui resurrexit, hunc antea mortuum fuisse necesse est: item mortuum jam ante nasci oportuit. Atque ita qui Christi resurrectioni assentitur, haud se difficilem in credenda ejus morte ac nativitate præbebit. Insuper cum corpori glorioso mansio terrestris non conveniat, sed cœlestis; ideo qui credit resurrectionem Salvatoris, ejus etiam in cœlos ascensionem nulla negotio credet.

**D.** Qua de causa tribuitur Christo, quod ascenderit ad cœlos, & de ejus sanctissima Matre dicitur quod assumpta sit, non vero quod ascenderit?

**M.** Hujus facilis est causa, quia Christus, ut Deus & homo, virtute propria cœlos penetravit, uti etiam virtute propria resurrexit: Mater autem ejus, quia creatura erat (etsi omnium dignissima) non propria, sed Spiritus sancti virtute resuscitata fuit, & ad cœlum assumpta.

**D.** Quid significant illa verba: Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?



*M.* Cave imagineris tibi, Patrem à sinistris Filii confidere; aut Patrem in medio consistere, à sinistris verò Spiritum sanctum, corporearum rerum more constitutum esse. Quoniam uti Pater, sic & Filius, quantum ad Divinitatem suam, & Spiritus sanctus ubique sunt; nec dici potest eorum unus à dextris, alter à sinistris proprie loquendo existere. Stare ergo à dextris in hoc articulo tantundem est atque in

*Gregor.*

*Naz. or.*

*38. qua*

*est de*

*Nativ.*

*Domini.*

*Ambr.*

*ep. 82. ad*

*Eccles.*

*Vercell.*

æquali celsitudine, gloria ac majestate versari: nam qui alteri à latere sedet, non sedet altiore nec humiliore loco quàm ille. Quò verò hic loquendi modus melius intelligatur, ait Scriptura in Psalmo 109. qui incipit, Deus Dominus, nunc Filium à dextris Patris sedere, nunc verò Patrem à dextris Filii: utique significans eos paris eminentiæ esse, ut jam diximus: adeo ut quemadmodum Christus cœlos ascendens, ante omnes Choros Angelorum, & sanctarum animarum cœtum, quem eò secum traduxit, locum occupavit, thronumque gloriæ Altissimi attigit; sic etiam ibidem substitit, neque supra Patrem conscendit, nec infra Patrem confedit: sed ad Patris latus, ut sic dicam, Sedit, ut qui patrem cum eo gloriam majestatemque possideat.

*D.* Quandoquidem Christus Deus

&



& homo est, velim scire num ad dexteram Patris sedeat, solum in quantum Deus est, an verò etiam in quantum homo.

*M.* Christus in quantum Deus, est æqualis suo Patri; & in quantum homo est minor Patre; nihilominus quia Deus & homo non sunt duo Christi, nec duæ personæ, sed tantum unus Christus, unaque persona, propterea dicimus Christum, Deum & hominem, sedere ad dexteram Dei Patris: & sic humanitas Domini nostri, id est, corpus ejus & anima, sedet in throno divino, ad dexteram Dei Patris, non ex dignitate propria, sed quia cum persona veri & naturalis Filii Dei unita est.

*D.* Hoc ipsum quæso ut mihi in aliqua similitudine proponas.

*M.* Accipe similitudinem à purpura regia. Quando Rex eâ indutus in regali solio residet, & omnes imperii Principes humiliori loco sedent. Purpura Regis excelso in loco est, quam isti Principes, scilicet in ipsomet solio regali: quod ita fit, non quasi purpura æqualis dignitatis cum Rege sit, sed quia cum Rege, tanquam vestis ejus unita est. Sic quoque sedet quidem corpus & anima Christi supra omnes Cherubinos & Seraphinos in ipsomet divinitatis throno, verum non propter



dignitatem naturæ, sed propter unionem cum Divinitate, eamque multò arctiorem, quam purpuræ cum Rege, nimirum per unionem personalem, ut dictum est.

*Articuli septimi declaratio.*

**D.** Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Quando nam Adventus ille Domini nostri fiet?

**M.** Erit in fine mundi adventus ille. Quare scias velim, mundum hunc aliquando finiendum, & omnino destruendum esse quodam ignis diluvio, quo omnia quæ in terris sunt conflagrabit: neque deinceps dies aut nox erit, neque matrimonia, mercaturæ, aut ullæ res aliæ quæ modo videmus. Et tunc in ultimo mundi die [ qui quam vicinus aut remotus sit nemo novit ] descendet Christus de cælo ut generale iudicium instituat. Et verba illa, Inde venturus est, moneant ne credamus cuiquam, qui se Christum esse jactitet, & nos decipere contendat, uti sub finem mundi Antichristus facturus est: nam verus Christus ex deserto non veniet, nec à loco incognito, sed à summo cælo descendet, cum tanta gloria & majestate, ut nemo dubitare possit an sit ipse: quemadmodum sol cum

tanto



tanto lumine in ortu suo prorumpit, ut nemo dubitare queat num sol ille sit an non.

**D.** Quare dicitur iudicaturus vivos & mortuos? nonne tunc omnes mortui erunt, & à morte resuscitabuntur?

**M.** Per vivos & mortuos accipi possunt boni, qui spiritualiter per gratiam Dei vivunt, & mali qui per peccatum spiritualiter sunt mortui. Ceterum etiam verum est descensurum Christum, ad iudicandum vivos & mortuos corporaliter. Nam in illo die multi erunt mortui, & multi quoque vivi invententur, & quidam eorum adolescentuli & minores pueri, qui tamen uno momento omnes morientur, ut debitum naturæ persolvant, & statim resuscitabuntur.

*Aug.  
Civ. l.  
20. c. 25.*

**D.** Frequenter audivi, eum qui moritur in peccato mortali statim ad Infernum descendere; eum verò qui in gratia Dei, vel ad Purgatorium tendere vel ad Cœlum, quomodo ergo iudicandi sunt, si sententia jam est lata?

**M.** In cujusque hominis morte, particulare iudicium super animam & corpore tum decedente instituitur: sed post extremum mundi diem generale iudicium instituetur super toto mundo; idque multis de causis. Primum



propter honorem Dei: multi enim videntes felicitatem impiorum, & tribulationem malorum, judicant mundum non rectè à Deo administrari. Sed tunc clarissimè patebit Deum vidisse omnia & annotasse, justoque iudicio impiis temporariam felicitatem indulgisse, ut levia quædam eorum bona opera remuneraretur, æternam postmodum pœnam ob peccata mortalia illis inflicurus. E diverso verò bonos temporalibus pœnis exercuisse, tum ut illos ob venialia peccata castigaret; tum verò ut illis suppeditaret materiam patientiæ ac meriti, quos postmodum propter bona opera infinito gloriæ thesauro sit donaturus.

Secundò propter honorem Christi, qui cum injustè damnatus sit, & à paucis ut par erat agnitus & honoratus, rationi consentaneum est diem constitui, in quo totus mundus, sive coactè sive spontaneè, eum ut Regem ac Dominum universorum agnosceret ac honoraret.

Tertiò propter gloriam Sanctorum, ut omnes videant quantopere Deus illos honoret, qui mundi tyrannidem persecutionesque sustinuerunt.

Quartò ad confusionem superbissimorum hostium Dei.

Quintò, ut corpus & anima simul  
sen-



sententiam suam, sive beatitudinis sive  
damnationis accipiant.

*Articuli octavi declaratio.*

**D.** Articulus octavus est, Credo in  
Spiritus sanctum. Quid sibi vult Spi-  
ritus sanctus?

**M.** Hic declaratur tertia persona  
sanctissimæ Trinitatis, uti in primo ar-  
ticulo prima, & in secundo secunda  
persona est declarata. Nam Spiritus  
sanctus nec Pater est, nec Filius, sed  
tertia persona à Patre Filioque proce-  
dens: verus Deus cum Patre & Filio. &  
imo idem Deus: quippe qui eandem  
quæ in Patre & Filio est, Divinitatem  
habet.

**D.** Idipsum aliqua mihi similitudine  
ostende.

**M.** Res divinæ per exempla rerum  
creatarum, & præsertim materialium  
perfectè ostendi non possunt: nihilo-  
minus similitudinem lacus accipe.  
Nam lacus à flumine procedit, uti  
flumen à fonte: quæ tria licet diversa  
sint, una tamen sunt aqua: sic & Pa-  
ter æternus ut fons, producit Filium  
tanquam flumen, denique Pater &  
Filius ut fons ac flumen Spiritum sanctum  
producent, ut lacum aliquem:  
& nihilominus Pater & Filius & Spi-



ritus sanctus non tres Dii sunt, sed unus Deus.

*D.* Quare tertia persona in sanctissima Trinitate Spiritus sanctus vocatur? nonne etiam omnes Angeli, & animæ beatæ sancti Spiritus sunt?

*M.* Deus per excellentiam vocatur Spiritus sanctus, ideo quia summus spiritus est, summeque sanctus, & omnis creati spiritus, omnisque sanctitatis origo. Quemadmodum licet multi inter homines sint, qui patres sunt, & sancti, sive ex vi officii, sive ob vitæ integritatem, ut multi boni Episcopi, Presbyteri, & Religiosi, nihilominus nemo Pater sanctus vocatur, nisi Summus Pontifex: quia id ei per excellentiam convenit, tanquam omnium supremo, ut qui sicut officii dignitate, sic & vitæ sanctitate omnes antecellere debet, tanquam qui personam Christi nobis repræsentet.

*D.* Quod si nomen Spiritus sancti convenit Deo per excellentiam, quare tertiæ dumtaxat personæ tribuitur? nonne etiam Pater & Filius Spiritus sunt, & sancti per excellentiam?

*M.* Omnino sunt: Verum cum prima persona proprium nomen habeat, nempe Patris, & secunda persona proprium, nempe Filii, ideo hoc nomen commune, tertiæ personæ cessit, quo  
ab



ab aliis duabus discerneretur. Insuper scire debes, cum tertia persona Spiritus sanctus vocatur, duas illas voculas unum nomen efficere, sicut unus idemque homo Joannes-Petrus dicitur: quæ conjuncta unum nomen designant, tamen si divisim duo nomina propria sint Joannes & Petrus.

**D.** Quare Spiritus sanctus in columbae specie depingitur, præsertim supra Christi ejusque matris effigiem?

**M.** Nequaquam hic cogitandum est, Spiritum sanctum corpus habere, aut corporalibus oculis videri posse: sed ideo sic depingitur, ut illius effectus explicentur, quos in hominibus operatur. Et quia columba simplex, pura, zelosa & fœcunda est, ideo supra Christum ac Divam Virginem pingitur, ut Christum ac Divam Virginem omnibus donis ac gratiis Spiritus sancti repletos fuisse intelligamus, & præsertim sanctâ simplicitate, puritate, animarum zelo, ac spirituali fœcunditate, quibus infinitos filios, nimirum fideles omnes acquisivere.

**D.** Quare super Apostolos Spiritus sanctus in specie ignearum linguarum pictus collocatur?

**M.** Quia Spiritus sanctus, decimo post Ascensionem Christi die in Apostolos descendit, eosque omni scientia, chari-



charitate ac eloquentia adimplevit, eisdemque qualibet lingua loqui posse dedit, ut fidem prædicando in universo mundo disseminarent. Et in signum horum admirandorum effectuum, hæ illis linguæ apparuere. Nam lumen ignis huius scientiam significat, ardor charitatem, & linguæ figura, eloquentiam. Quod quidem cum unum ex maximis beneficiis sit, quæ Deus Ecclesiæ præstitit, idcirco magnum illud festum, quod Pentecostes vel Spiritus sancti dicitur quotannis agit Ecclesia.

*Declaratio Articuli noni.*

**D.** Quid nono articulo designatur: Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem?

**M.** Incipit hic altera pars Symboli Apostolici; nam prima de Deo agit, altera verò de Ecclesia tamquam Dei Sponsa. Et quemadmodum in Deo Divinitatem & tres personas credimus: ita quoque de Ecclesia, eam unam esse credimus, quodque tria præcipua bona habeat, quorum primum ad animam pertinet, nempe remissio peccatorum, alterum ad corpus, scilicet Resurrectio carnis; tertium ad animam & corpus simul, nempe vita æterna, ut in sequentibus

tribus



tibus articulis videbimus.

D. Hunc quæso articulum verbo-  
renus mihi explica : & primò quid sit  
Ecclesia.

M. Ecclesia est quædam convoca-  
tio & congregatio hominum baptiza-  
torum , qui eandem fidem & legem  
Christi , sub Romani Pontificis obe-  
dientia profitentur. Vocatur autem  
convocatio , quia non nascimur Chri-  
stiani , quemadmodum nascimur Bel-  
gæ, Itali vel Franci , aut alterius cujus-  
libet nationis : sed à Deo vocamur, &  
in hanc congregationem per Baptis-  
mum, qui tamquam janua Ecclesiæ est,  
ingredimur. Neque verò solus Baptis-  
mus sufficit ut simus in Ecclesia , sed  
opus est credere, & fidem Christi ac le-  
gem ejus profiteri , sicut illam Pastores  
ac Prædicatores Ecclesiæ proponunt.  
Sed neque hoc adhuc satis est , nisi eti-  
am obedientiæ Romani Pontificis tan-  
quam Christi Vicarii, nos subjiciamus,  
hoc est, illum pro supremo capite, Chri-  
sti locum tenente agnoscamus & habe-  
amus.

D. Quandoquidem Ecclesia congre-  
gationem hominum significat , quare  
fabricas illas in quibus divina Officia  
peraguntur Ecclesias vocamus ?

M. Quia fideles , qui vera Ecclesia  
sunt in illis fabricis congregantur , ut



exercitia Christiana ibidem tractent, ideo etiam fabricæ illæ Ecclesiæ dicuntur: præsertim quando divino cultui dedicatæ & consecratæ sunt. Cæterum nos in isto Symboli articulo non loquimur de Ecclesiis ex saxo lignoque fabricatis, sed de viva Ecclesia, hoc est, fidelibus baptizatis, & sub obedientia Romani Pontificis, ut dictum est, viventibus.

*D.* Quare dicitur Ecclesia, & non Ecclesiæ, cum multæ Ecclesiæ in diversis mundi partibus inveniuntur?

*M.* Quia non nisi una Ecclesia est, fideles omnes totius mundi complectens; non eos tantum qui jam vivunt, sed omnes quotquot à mundi principio fuerunt, & usque ad ejusdem consummationem futuri sunt. Et ideo non solum una, sed etiam Catholica, hoc est, universalis vocatur; quia ad quamlibet mundi plagam, & ad omne tempus se extendit.

*D.* Quare hæc Ecclesia una dicitur, cum tantam hominum multitudinem complectatur?

*M.* Una vocatur, quia unum habet caput, scilicet Christum, & illius loco hic in terris Romanum Pontificem; & quia uno spiritu vegetatur, & unam eandemque legem habet; quemadmodum Regnum aliquod dicitur unum, quod



quod Regem duntaxat unum, unamque legem habeat, tamen in eo multa provinciarum, oppida ac pagi inveniantur.

*D.* Quamobrem hæc Ecclesia sancta vocatur, cum tamen per plures in ea seelerati existant?

*M.* Tribus potissimum de causis Sancta vocatur. Primò, quia Caput ejus, Christus, est sanctissimum: quem admodum qui formosa est facie, formosus dicitur, licet distortum digirum, aut maculam sive in pectore, sive in humero habeat.

Secundò, quia Fideles omnes sancti sunt per fidem ejusque professionem: habent enim fidem verissimam atque divinam, profitentur Sacramenta sanctissima, legemque justissimam, quæ non nisi bona præcipiat, & prohibeat mala.

Tertiò, quia quidam in Ecclesia revera sancti sunt, non solum respectu fidei ac professionis suæ, sed etiam respectu virtutis ac integritatis morum: sicut è contrario nullus Judæorum, Turcarum, Hæreticorum & similium Sectariorum extra Ecclesiam existentium, revera Sanctus esse potest.

*D.* Quid significat, Communio Sanctorum?

*M.* Hoc significat, corpus Ecclesiæ



*Ps. 118.**82.**Rom. 12.**5.*

eo modo unitum esse, ut si quid boni habeat unum membrum, id omnibus reliquis communicetur. Hinc quantumvis in remotissimis quidam regionibus degant, nobisque ignoti sint; nihilominus Missæ sacrificiis, precibus, divinis officiis, aliisque id genus bonis eorum operibus communicamus iisque juvamus. Et hæc communio non solum in terris est, sed etiam eadem jam dicta pia opera animabus in Purgatorio existentibus in primis profunt: uti quoque orationes in cælo degentium tam nobis, quam animabus jam dictis utiles sunt, atque proficiuæ.

*D.* Si hoc ita est, supervacaneum erit pro aliquo in particulari orare, aut pro hac aut illa anima in Purgatorio existente sacrificium Missæ offerre, quando bona opera omnia communia sunt.

*M.* Non est ita: tamen si enim sacrificia Missæ, orationes, aliaque bona opera suo modo communia sint, tamen illis magis profunt, pro quibus particulariter offeruntur, & applicantur.

*D.* Quid de excommunicatis dicemus? an & illi bonorum operum à fidelibus præstitorum participes fiunt?

*M.* Ideo excommunicati dicuntur, quia Sanctorum communione sunt de-

stituti



stituti, ramisque ab arbore, aut membris à corpore resectis similes, quæ humore per alios ramos vel membra unita se spargente privantur. Et hinc colligas licet quanti facienda sit Excommunicatio. Non enim potest Deum habere patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

*Cypr. de  
unitate  
Eccles.*

*D.* Suntne ergo excommunicati extra Ecclesiam, periade ac Judæi, alique Infideles?

*Hier. in  
c. 3. ad  
Tit.*

*M.* Sunt omnino: cum hoc tamen discrimine quod Judæi & Turcæ sint extra Ecclesiam, eò quòd nunquam eam per Baptismum ingressi sint. Hæretici, qui Baptismum perceperunt. extra eam sunt, eò quòd fidem deseruerint, & sponte ab ea egressi, facti sint fugitivi: quamobrem variis eos pœnis Ecclesia cogit ut ad veram fidem redeant; sicut pastor ovem profugam, ut ad ovile redeat, pedo compellit. Verum excommunicati qui baptismum & fidem habent, in eam sunt ingressi, & non sua sponte, sed per vim ab ea proscribuntur: quemadmodum pastor ovem scabiosam ab ovili arcet; & lupis in prædam dimittit. Non tamen Ecclesia ea mente ejicit excommunicatos ut perpetuo foris maneant, sed ut super inobedientia sua contendantur, eoque modo humiliati, ad

Ecc



Ecclesiam petant admitti, & simul materno Sanctorumque communioni constitui.

*Articuli decimi declaratio.*

**D.** Quid est, remissio peccatorum, quæ decimo Symboli articulo continetur?

**M.** Hoc primum est trium illorum principalium bonorum quæ in Ecclesia inveniuntur. Unde sciendum est, omnes homines nasci peccatores, & Dei inimicos, & semper de malo in pejus prolabi, quoadusque per gratiam Dei aboleantur eorum peccata, & in Dei amicos ac filios denuo asciscantur. Quæ gratia nusquam, nisi in Ecclesia reperitur, in qua vera sunt Sacramenta, & præsertim Baptismus ac pœnitentia, quibus tanquam cœlestibus medicinis, homines ab omnibus animæ morbis, id est, peccatis liberantur.

*Ad Tit.  
3.5.*

**D.** Paulo dilucidius mihi explana, quantum bonum sit remissio peccatorum.

**M.** Non est in mundo majus malum peccato; non solum quia ex ipso universa tam hujus vitæ, quam alterius mala nascuntur; sed etiam quia facit hominem inimicum Dei: quid enim pejus dici queat, quam illius inimicum



micum esse, qui quidquid vult facit, & cui nemo potest resistere. Quis illum cui Deus infensus est, potest defendere? Contra autem non potest in hac vita majus bonum dari, quam esse in gratia Dei? Quis enim nocere potest illi, quem Deus defendit, in cujus potestate sunt omnia? Breviter, nosti in rebus corporalibus maximè vitam aestimari, quia ipsa omnium aliorum bonorum est fundamentum; scis etiam omnium maximè timeri mortem, quia vitæ & diametro opponitur. Cum igitur peccatum sit spiritualis animæ mors, remissio autem peccati ejusdem spiritualis vita; facillimè colligere poteris quantum bonum in Ecclesia percipiat, in qua sola remissio peccatorum invenitur.

*Articuli undecimi declaratio.*

**D.** Quid articulo undecimo, per Carnis resurrectionem significatur?

**M.** Hoc est alterum principale Ecclesie bonum, quod nimirum in extremi judicii die, omnes illi quibus remissio peccatorum collata fuerit, reviviscunt.

**D.** An non & alii reviviscunt qui extra Ecclesiam sunt, aut remissionem peccatorum non fuerint assecuti?

**M.** Quan-



2. Cor. 15  
51.

*M.* Quantum ad vitam naturalem attinet, certum est omnes ad eam redituros, siue boni sint, siue mali, nihilominus cum resurrectio malorum eo fine instituta sit, ut pœnis plectantur æternis, non autem ut bono aliquo fruantur, ideo hæc eorum vita jugis mors potius, quam vera vita vocatur. Et ideo vera resurrectio, scilicet ad vitam beatam, non erit nisi bonorum, qui à peccato inuenientur immunes.

*D.* Dic mihi quæso, num eadem illa corpora quæ nunc habemus resurgent, an verò alia his similia?

*M.* Non est dubium, quin eadem ipsa, quæ nunc habemus resurgent. Nam vera resurrectio non esset, si non resurgeret id ipsum quod cecidit, nec ad vitam rediret id ipsum quod mortuum fuit. Ad hæc resurrectio corporis ideo fiet, ut corpus nostrum siue præmii, siue pœnæ particeps reddatur, quemadmodum siue boni operis, siue peccati particeps fuit: itaque necessarium est idem corpus esse: quoniam aliud nec pœnam nec præmium mereretur.

*D.* Quomodo possibile est exustum corpus; & cujus cineres aut vento abrepti, aut in flumen projecti sunt, reviviscere?

*M. Pro,*



*M.* Propterea in principio Symboli dictum fuit, Deum omnipotentem esse, quia ea efficere potest quæ nobis impossibilia videntur. Verum si consideres Deum cælum, terramque ex nihilo condidisse, haud difficulter credes, illum hoc ad priorem statum posse reducere, quod etiam in favillas reductum est.

*Aug. de Civit. l. 22. c. 20.*

*D.* Quæso dic mihi, num viri ad esse viri, & fœminæ ad esse fœminæ rediturae sint: an verò omnes idem esse, eandemque formam sint habituri?

*M.* Necessarium est credere, viros ad esse viri, & fœminas ad esse fœminæ redituras: quia alias non essent eadem corpora quæ erant prius, jam verò dixi eadem corpora resurrectura. Et quamvis in altera vita neque generatio filiorum, neque conjuges futuri sint, nihilominus distinctio sexuum erit, ut quilibet propriarum virtutum præmio fruatur, quas in sexu suo exercuit. Et quemadmodum in cælo elegans spectaculum erit intueri gloriam Martyrum ac Confessorum; sic quoque non minus erit elegans gloriam Virginum, elegantissimum verò gloriam sanctissimæ Dei Matris videre.

*Aug. i. bid. c. 17.*

*D.* Perge porrò mihi dicere, in qua ætate & statura resurgemus, cum alii in pueritia, alii in juventute,

C

alii



alii in senectute decedant?

*Aug. i°  
bid. c. 15.*

*M.* Omnes resurgemus in illa ætate ac statura, quam habueramus, aut habituri eramus in trigésimo tertio aut quarto ætatis nostræ anno, in quo Christus resurrexit. Quare pueri resurgent in ea magnitudine, quam si ad trigésimum tertium ætatis suæ annum pertigissent, habituri fuissent: & senes in flore ætatis suæ resurgent, quo fruebantur, cum triginta trium essent annorum. Si quis verò in hac vita cæcus, claudus, nanus, aut alio modo deformis fuerit, is sanus, omnique perfectione præditus resurget, quia Dei perfecta sunt opera (Deut. 32.) Ideoque in Resurrectione [ quod opus est illi proprium ] vitia ac defectus omnes naturæ emendabit.

*Articuli duodecimi declaratio.*

*D.* Quid ultimus articulus designat: Vitam æternam, Amen.

*M.* Hic perfectam, plenamque animæ & corporis felicitatem designat id est summum bonum, ac finem ultimum, quem ex eo, quod in Ecclesia sumus, acquiritur.

*D.* Dic mihi in particulari, quænam bona sint in vita æterna,

*M.* Mystrium hoc ex similitudine  
à rebus



à rebus hujus vitæ petita, tibi declara-  
 bo. Nosti in hac vita corpus sanum,  
 elegans, agile ac robustum desiderari:  
 item animam sapientem, prudentem  
 ac doctam, quod intellectum attinet:  
 & quantum ad voluntatem, omni vir-  
 tute ornatam. Insuper desiderantur  
 bona exteriora, ut sunt divitiæ, hono-  
 res, potentia, voluptates. Porro in  
 vita æterna, hoc corpus quoad sani-  
 tatem erit immortale & impassibile;  
 id est, nihil ei noxium esse poterit.  
 Quoad pulchritudinem, erit clarum &  
 splendidum instat solis: quoad agili-  
 tatem, tanta celeritate erit præditum,  
 ut in momento ab una mundi extre-  
 mitate ad alteram movere se possit, &  
 à terra in cælum usque citra ullam de-  
 fatigationem conscendere. Quoad ro-  
 bur tale erit ut sine cibo, potu, somno,  
 aut quiete spiritui vacare possit in om-  
 nibus quæ ei necessaria erunt, neque  
 ulla res illi timorem incutiet. Quoad  
 animam autem, intellectus plenus erit  
 sapientia: causam cum rerum omnium  
 intuebuntur, hoc est ipsum Deum, ve-  
 luntas a deo plena erit charitate & bo-  
 nitate, ut non possit vel unum pecca-  
 tum veniale committere. Divitiæ bea-  
 torum erunt, nullius rei indigere,  
 quandoquidem in Deo bonum omne  
 possidebunt. Honor eorum erit, quod

1. Cor. 15  
 32.



*Luc. 20.* sint filii Dei, Angelis æquales, Reges  
*36.* item ac Sacerdotes spirituales in æter-  
*Apoc. 5.* num futuri. Potestas autem, quod una  
*10. c. 6.* cum Deo futuri sint totius orbis præsi-  
*20. 6.* des ac correctores, & quidquid volue-  
*Aug. de* rint facere possint, quandoquidem vo-  
*Civit. l.* luntati Dei uniterunt, cuius nulla  
*22. c. ult.* potest resistere. Denique gaudium eo-  
 rum ineffabile erit, quia omnes eorum  
 potentia, tam animæ quam corporis  
 objectis sibi convenientibus unientur,  
 unde perfecta nascetur delectatio, pax  
 inenarrabilis, & gaudium ac jubilus  
 nunquam finiendus:

*D.* Si omnibus hæc communia futu-  
 ra sint, omnesque eodem modo sua fe-  
 licitate contenti, ergo in cælo non erit  
 unus altero beatior.

*Aug: u-  
 bi supra.*

*M.* Planè is cujus in hac vita meri-  
 tum majus fuerit, is etiam majus præ-  
 mium habebit, eritque beatior: sine ul-  
 la tamen invidia aut displicentia: nam  
 singuli pro capacitate sua replebuntur:  
 & qui majora merita acquisierint capa-  
 ciores erunt, adeoque majorem glori-  
 am obtinebunt. Exempli gratia, si quis  
 pater plures haberet filios, alios aliis  
 ætate & staturâ majores, & vestem uni-  
 cuique ex aurea tela contextam cujus-  
 que staturæ conformem daret; non est  
 dubium, quin majores majorem & præ-



pretiosiores vestes essent habituri, & tamen omnes veste sua contenti forent; nec minores majorum vestes affectarent, utpote sibi minimè convenientes.

*D.* Quamobrem hæc cœlestis gloria vita æterna vocatur; an non etiam damnati æternum vivent in inferno?

*M.* Vita propriè in illis rebus est; quæ à semetipsis moventur: quo pacto etiam aquæ fontanæ quadantenus vivæ vocantur, quia moventur: aquæ verò paludosæ, quia stagnant, dicuntur mortuæ. Simili modo Beati in cœlo degentes dicuntur vitam æternam habere, quia omnibus potentiis suis, tam interioribus quàm exterioribus, sine ullo impedimento agere possunt quidquid voluerint: adeoque semper exercent, aguntque pro suo beneplacito. Verùm damnati in inferno tametsi vivant, quia nunquam morte consumuntur, nihilominus dicuntur in perpetua morte versari; quia sunt in perpetuum igni ac tormentis alligati, semperque id reluctante voluntate passuri quod nolent, neque unquam quod vellent, facturi. Adeo ut Beati in cœlo fruantur omni bono, sine ulla admixtione mali. Damnati verò in inferno tolerant omne malum;

C ; neque



neque ulla unquam in re voluntatem suam explere valeant.

*D.* Quid significat, *Amen*, quo Symbolum clauditur?

*M.* Tantundem est ac si dicas: Hæc veritas est: sive, id omne quod dictum est, verum est ac certum.

#### CAPUT IV.

##### *Explicatio Orationis Dominicae.*

*D.* **C**ognito jam satis eo quod credendum est, desidero scire quid sperandum, petendumque mihi sit, & quo medio id obtinendum.

*M.* Totum quod à me quæris in Oratione Dominica continetur, quam nos, Pater noster, vocamus: illa enim demonstrat quid, & à quo petere debeamus; & simul ipsammet Orationem medium esse quo petita impetremus.

*D.* Quænam est Oratio Dominica?

*M.* Est hæc: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et

De



hæc nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

*D.* Quare Oratio Dominica cæteris omnibus orationibus præponitur?

*M.* Primò præponitur reliquis omnibus, eò quòd ab ipso met Christo, qui summa Sapientia est, sit composita. Secundò quia brevissima est, & ad discendum, memoriâ que retinendum facillimâ: item que omnia complectens, quæ à Deo peti possunt. Tertiò quia utilissima & efficacissima Oratio est, utpote ab eo facta qui simul & Judicis & Advocati partes sustinet, ideoque omnium optimè novit, quo pacto petendum sit, quod voluerimus impetrare. Quartò, quia omnium maximè est necessaria; quippe ad quam tenendam memoriâ, & quotidie recitandam Christiani omnes obligantur: unde & Oratio quotidiana, hoc est, in dies recitanda vocatur.

*D.* Ordite ergo aliquando hæc prima verba mihi explicare, Pater noster qui es in cœlis.

*M.* Hæc verba, brevis quædam præfatio sive præparatio ad orationem sunt. Nam dicendo Deum patrem nostrum esse, animum nobis addimus, & fiduciam ad orandum. Item dicendo, qui es in cœlis, nos ipsos monemus, quòd magna cum reverentia & humi-

*Aug.*  
*Ep. 12 l.*  
*c. 12.*

*Toletan.*  
*4. can. 9.*  
*Concil.*  
*Rom.*  
*can. 2.*

*Cypr.*  
*Jer. 6.*  
*August.*  
*Ench. 7.*



litate illum adire debeamus : ut qui non terrenus , sed cœlestis pater sit. Deinde vocando eum Patrem, consideramus fore , ut nobis gratificetur in iis quæ postulamus: Dicendo verò quòd sit in cœlis , ut mundi totius Dominus, intelligimus eum quidquid vult tacere, posse. Denique dicendo Pater, meminimus non esse Dei filios, & regni cœlestis hæredes: cumque addimus , qui es in cœlis , & consideramus nos adhuc in terris degere , recordamur nos hæreditatem nostram necdum adiisse, sed ut peregrinos & viatores in hostili terra versari, ejusque auxilio imprimis egere.

D. Unumquodque verbum mihi sigillatim explana.

*Cypr.  
ser. 6.  
Aug. lib.  
2. ser. in  
monte c.  
3. Nyss.  
Or. 2. de  
orat.  
Dom.  
Hieron.  
ep. ad  
Dam. de  
filio  
prod.*

M. Vocula illa, Pater, tametsi Deo ut rerum omnium creatori ritè conveniat, nihilominus in hac oratione Deo tribuitur quatenus bonorum Christianorum Pater est per adoptionem.\* Præter quos tamen, etiam illi qui converti student, & filii Dei desiderant, Deo dicere possunt, Pater noster : non autem illi qui neque jam filii Dei sunt, neque esse volunt, neque ullam de conversione sua cogitationem admittunt.

D. Quare dicimus, Pater noster, & non, Pater mi?

M. Dī.



M. Dicimus, Pater noster, ut figuratim  
 faciemus nos omnes fratres esse, & ut  
 fratres invicem amare debere, unum-  
 que esse, tanquam unius Patris fi-  
 lios. Dicitur etiam, Pater noster, ut  
 ostendatur communem orationem  
 meliorem esse privatam, ipsique oranti  
 fructuosior. Cum enim omnes di-  
 cunt Pater noster, singuli orant  
 pro omnibus, & omnes pro singulis.

D. Quare dicimus, Qui es in caelis,  
 nonne Deus in omni loco est?

M. Dicimus Deum in caelis dege-  
 re, non quasi in omni loco non sit, sed  
 quia caeli nobilior pars mundi sunt,  
 in quibus divina majestas, poten-  
 tia & sapientia magis resplendet: de-  
 nique in quibus se ab Angelis & Bea-  
 tis facie ad faciem videri permittat.  
 Dici praeterea potest in caelis Deum  
 esse, quia modo quodam peculiari  
 in Angelis, sanctisque hominibus,  
 qui spirituales quidam caeli sunt, ha-  
 bitat.

D. Veniamus nunc ad primam peti-  
 tionem: Quid significat, sanctum tuum  
 nomen tuum?

M. Nomen hoc loco famam no-  
 titiamque significat: ut cum dici-  
 mus; hic magnum nomen habet,  
 quia multis notus est, aut cer-

Aug. l.  
 2. de ser.  
 in monte  
 Cass.  
 coll. 8.  
 Bern.  
 ser. 6. de  
 Qua-  
 dra.



re, bonum vel malum nomen habet, quia famæ bonæ vel malæ est, & multis notus, à quibus vel ut vir bonus laudatur, vel ut malus, passim proscinditur. Itaque nomen Dei sanctificare, nihil est aliud, quàm Dei notitiam per totum mundum spargere, eamque in ore & corde hominum sanctam, illibatamque servare, ut in seipsa est. Quia verò in mundo multi inveniuntur infideles Deum non cognoscentes, & multi mali Christiani in Deum blasphemi & maledici; ideo qui filii Dei sunt, & zelo paterni honoris ducuntur, magno cum desiderio precantur, ut nomen ejus sanctificetur: hoc est, ut ipse per orbem universum ut patet agnoscat, adoretur, laudetur ac benedicatur.

*D.* Si desideramus Deum agnosci & laudari ab hominibus, nonne aptius hoc ab hominibus peteremus quam à Deo?

*M.* Homo ex seipso Deum neque cognoscere potest, neque laudare: idcirco Deum rogamus ut per gratiam suam efficiat, ut infideles alique peccatores convertantur, & conversi sanctum ipsius nomen cognoscere & laudare incipiant.

*D.* Quare ab ea petitione hanc orationem iachoamus, Sanctificetur nomen suum?

*M.* Quan-



*M.* Quandoquidem teneamur amare Deum super omnia, & quidem magis quàm nosmetipsos, ideo primum ac frequentissimum desiderium nostrum esse debet de gloria Dei: quia propterea quoque creati, & ratione præditi sumus, ut cognoscamus & laudemus Deum: in quo etiam summum bonum nostrum situm est, ut infra dicetur.

*D.* Declara mihi nunc alteram petitionem, scilicet, Adveniat regnum tuum.

*M.* In hac petitione propriam salutem petimus, idque optimo ordine, quando Dei gloriam petivimus in prima.

*D.* Quid per Regnum Dei intelligere debemus?

*M.* Trifariam accipi potest regnum Dei: Deus etiam triplex habet regnum, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Regnum naturæ est illud per quod creaturas omnes regit ac gubernat, ut absolutus rerum omnium Dominus: Tametsi enim mali ad peccandum incumbant, nec legem Dei observent, nihilominus etiam illos regit Deus: nam cum illi videtur, conatus eorum impedit: & si subinde quod volunt permittat, postmodum tamen severe punit, neque ullus est qui ejus volun-



rati queat resistere, aut aliter facere quam ipse vel ordinet, vel permittat.

Regnum gratiæ illud est, quo Deus animas & corda bonorum Christianorum moderatur ac regit, gratiam & spiritum dando, ut illi promptè serviant, illiusque honorem præ omnibus quærant.

Regnum gloriæ in altera vita erit, post extremi iudicii diem: quia tunc Deus cum omnibus Sanctis suis, super omnes res creatas sine ulla resistantia regnabit: tunc enim dæmonibus, flagitiosisque hominibus potestas omnis eripietur, & in perpetuos inferni carceres detrudentur. Tunc etiam mors, omnisque corruptio cum universis mundi carnisque tentationibus, quibus servi Dei nunc impetuntur, exterminabitur: adeo ut regnum illud proflus quietum pacificumque futurum sit, in secura possessione perfectæ æternæque felicitatis consistens.

D. De quo trium horum regnorum agit hæc petitio?

*Cyrril.  
cate.c.  
Myft.  
Chryf.  
in c.6.*

*Matthæi*

M. Non agit de primo, quia illud venturum non est, sed jam venit. Nec loquitur de secundo, quia de illo in petitione prima actum est, & majore ex parte jam venit. Loquitur ergo de tertio, quod adhuc venturum est, magnoque



quoque cum desiderio ab illis omnibus expectatur, qui presentis vitæ miseriam agnoscunt. Atque ita in hac petitione summum bonum nostrum, & gloria tum corporis, tum animæ perfectæ postulat.

*Aug. l.  
2. de ser.  
in montē*

D. Si regnum Dei quod hic petimus ut cito adveniat, post extremum tantum iudicii diem initium sumat: ergo petimus etiam ut hic mundus cito finiatur, utque ilico extremus iudicii dies adveniat.

*Hier. in  
c. 6.  
Matt.  
Cass.  
coll. 60*

M. Sic est. Tamen enim amatores mundi hujus tristiora nova audire non possunt, quam si extremus ille dies frequenter eorum auribus insonet: nihilominus cives cœli, qui tanquam peregrini & exules hic degunt, quoad in terris fuerint nihil vehementius desiderant. Unde (quod Sanctus Augustinus docet) quemadmodum ante Christi in hunc mundum adventum, omnia Sanctorum Patrum veteris legis desideria ad primum Christi adventum tendebant: ita nunc omnia Sanctorum novæ legis desideria ad secundum ejusdem adventum tendunt, qui perfectam nobis beatitudinem est allaturus.

*Conc. 20  
in Ps. 118*

D. Transeamus ad petitionem tertiam: Quid significant illa verba,

C ?

Fiat



Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra ?

*M.* His verbis gratiam petimus divinis mandatis perfectè obsequendi. Cum enim in secunda petitione vita beata peratur, qui est finis hominis, nunc conveniebat, ut principale medium ad illum finem obtinendum peteretur, quod est observatio mandatorum Dei: quia sic Salvator noster ait [Mat. 19.] Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et quia ex nobismetipsis sufficientes non sumus, ad omnia mandata sicut oportet observanda, ideo petimus à Deo, ut illius voluntas à nobis fiat: hoc est, ut gratiam donet, suam voluntatem adimplendi, id est, sanctissimis eius mandatis perfectè obediendi.

*D.* Cuperem scire, an, præterquam quòd obligamur Dei voluntatem implere, observando ejus mandata, etiam teneamur, dum nobis immittit tribulationes, voluntatem nostram cum divina conformare.

*Cypr.  
ser. de  
mortalit.*

*M.* Ad minimum obligati sumus non murmurare, nec contra divinam Providentiam querelas movere. Quidquid enim nobis vel immittit, vel finit evenire, bono fine facit, hoc est, vel ad materiam majoris meriti, si boni sumus vel purgationis, si mali.

*D.* Qua-



D. Quare verba illa adduntur, Sicut in cœlo & in terra?

M. Ut significetur adeo nos debere ad obediendum Deo paratos esse, & cum tanta alacritate & promptitudine ad perfectè observanda illius præcepta fieri, cum quanta in cœlis ad id feruntur Angeli, qui ne minimum quidem defectum in universis Dei præceptis observandis admittunt. Potest etiam dici, nos hic petere, ut peccatores per terram significati, sic obediant Deo, quemadmodum Sancti eidem obediunt, qui significantur per cœlum. Aut certè ut tota Ecclesia, terræ nomine intellecta, perfectè obediat Deo, sicuti Christus illi obedivit, qui per cœlum intelligitur.

D. Veniamus nunc ad quartam petitionem. Quid significat, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

M. Valde rationabiliter hic petimus panem, quo vita nostra sustentatur, posteaquam petivimus gratiam quæ ipsamet vita est. Nam qui incipit vivere, ante omnia cibum desiderat quo vitam sustentet. Verùm adverte quòd in hac petitione primariò panis spiritualis petatur, qui cibus animæ est, secundariò verò cibus corporalis, qui cibus est corporis. Per spiritualem cibum sanctissimum Sacramentum Altaris

*Aug. ser.*  
109. de  
temp.  
*Cyrrill.*  
cate. 5.  
*Myst.*

*Chryf.*  
in 6.

*Mattho*

*Cypr.*

*ser. 6.*

*Aug. l. 2*

*serm. in*

*monte*

*c. 11.*



taris intelligimus, quod cœlestis ac di-  
 vinus quidam panis est, mirabiliter  
 vitam animæ nutriens. Item verbum  
 Dei, quod per Prædicatores propo-  
 situm, aut librorum spiritualium le-  
 ctione haustum, non parum eandem  
 animæ vitam nutrit. Denique inspira-  
 tiones divinas, orationem, & ea om-  
 nia, intelligimus, quæ vel ad susten-  
 tandam gratiam, quam animæ vitam  
 esse diximus, vel eam augendam con-  
 ducunt. Per panem corporalem, intel-  
 ligimus id omne quod necessarium est  
 ad sustentationem vitæ corporis, quo  
 velut bonorum operum instrumento  
 anima utitur.

*D.* Quare panis iste, panis noster  
 vocatur?

*M.* Non sine magno mysterio panis  
 ille, noster vocatur. Nam si loquamur  
 de sanctissimo Sacramento, illud certè  
 panis noster est, quia propter salutem  
 nostram à Spiritu sancto in utero bea-  
 tissimæ Virginis formatum est, & in  
 fornace sanctissimæ Crucis excoctum,  
 ac in Altari per manus Sacerdotum ap-  
 paratum. Item noster, quia panis pro-  
 prius filiorum est; nec canibus, id est,  
 infidelibus, aut mortali peccato obnox-  
 iis, dari debet.

Si loquamur de doctrina, petimus  
 panem nostrum, id est, illum qui à  
 veris

*Cypr.  
 ser. 6.*



Veris Prædicatoribus, Sacræ Ecclesiæ filiis dispensatur : & non panem alienum, quem hæretici suis asseclis obtundunt, qui panis corruptus & venenatus est. Si verò loquamur de pane corporali, petimus ut nostrum panem nobis largiri dignetur, non verò aliorum : id est, ut in justo ac licito quæstu nobis assistete, & possessionibus omnibusque laboribus nostris benedicere dignetur, quò remotis furto ac fraudibus, vitæ nostræ necessaria provideamus.

D. Quare vocatur panis quotidianus?

M. Panis quotidianus idem est, ac panis diebus singulis necessarius : quia neque superfluum quid, neque curiosum petimus, sed ad quod ad simplicem sive corporis sive animæ sustentationem uno die sufficiat, maxime cum nos in hac vita peregrinos & hospites esse sciamus,

*Cyp.*

*ser. 6.*

*Chrys. in*

*5. 6.*

*Matt.*

D. Quare dicimus, Da nobis?

M. Ut intelligamus, quod licet ad obtinendum sive spirituales sive corporales panem plurimum laboremus, tamen omnem laborem nostrum inanem fore, nisi Deus per gratiam suam nobiscum concurrat : quemadmodum sæpe videmus, quantumvis homines in conferendis,  
ac



ac demetendis agris laborent, tamen propter mundi peccata caritatem annonæ provenire. Petimus insuper ut deus panem nostrum nobis det, id est; ut non solum in eo procurando succurrat, sed etiam dum illum percipimus, eum sanctificet ac benedicat, ut nobis ad animæ & corporis utilitatem proficiat.

*Aug.  
ser. 135.*

*D.* Quare vox illa, hodie, adjungitur?

*Cyrill.  
cate.  
Myst. 5.  
Aug. ep.  
121. c. 11.*

*M.* Illa vox hodie, totum tempus vitæ nostræ temporalis significat. Quare petimus à Deo: ut nos in tota hac peregrinatione nostra, donec cœlestem patriam obtinuerimus, pane spirituali juxta ac corporali enutriat, ubi non erit amplius opus vel Sacramentis, vel concionibus, nedum cibo corporali. Potest etiam dici, nos à Deo petere, ut hodie illum panem nobis tribuat, quia nolumus de crastino esse solliciti, cum nesciamus an die crastino simus victuri. Ita enim Christus nos docuit non nisi de præsentis esse sollicitos. Quamobrem panem qui hodie sufficiat petimus hodie, panem cras necessarium cras petitori.

*Matth.  
6.*

*D.* Ex jam dictis dubium mihi subnascitur. Si enim non nisi de præsentis, solliciti esse debeamus, utique malè faciunt illi qui à frumento, vino, aliisque

neces



necessariis in totum annum sibi propiciunt.

*M.* Dominus noster quando nos docet non nisi de presenti sollicitos esse, aliud non intendit, quam ut nos à superfluis curis absolvat, quibus oratio aliaque ad vitam beatam acquirendam necessaria plurimum impediuntur. Quapropter si cura illa de futuro non sit superflua sed necessaria, uti est ea quæ in dictas provisiones faciendas impenditur, tunc circa futurorum procuracionem occupati non est malum. Imò talis cura de hodierno die est, non de crastino: si enim semper in crastinum expectare vellemus, nunquam nobis necessaria tempestivè provenirent.

*D.* Sequitur jam quinta petitio. Quid significat: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?

*M.* In quatuor præcedentibus petitionibus omne bonum à Deo petivimus, sive æternum sive temporale: nunc verò in tribus sequentibus oramus, ut ab omni malo præterito, presenti & futuro liberemur. Ubi facile advertis verum esse id quod supra dixi, quidquid peti potest hac oratione contineri. Petimus ergo in hac petitione, ut Deus nos à malo præterito  
 cri.



eripiat, id est, à peccatis quæ commisimus. Dominus enim noster Apostolos hanc orationem docens, declaravit per debita, peccata intelligenda esse.

*D.* Quare peccata, debita vocantur?

*M.* Triplici de causa. Prima est, quia quilibet homo peccatis offendit Deum, atque ideo debitor illius est; ut ei pro irrogata injuria satisfaciat. Secunda: quia qui peccat legem Dei prævaricatur, quæ lex cum sui observatoribus præmium promittat, pœnamque prævaricatoribus intentet; hinc prævaricator debitor est ut memoratam pœnam exolvat. Tertia est, quia quilibet nostrum ad colendam animæ suæ vineam, & reddendos Deo fructus bonorum operum obligatur; quare qui bonis operibus non insistit, & multò magis, qui eorum loco mala committit, Dei, qui omnium harum vinearum verus est Dominus, debitor est. Quandoquidem igitur omnes sæpe delinquimus, tum faciendo quod non deberemus, tum omittendo quod facere deberemus; ideo æquum est nos in dies magna cum animi demissione Deum precari, ut dimittat nobis debita nostra.

*D.* Quare



*D.* Quare hæc etiam verba adduntur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

*M.* Hic similiter per debita offensæ ac injuriæ à proximo nobis illatæ accipiuntur: dicimusque Deo, ut nobis injurias in se commissas dimittat, sicuti nos offensas à proximo acceptas illi remittimus. Quemadmodum enim qui offensas proximo dimittit, ad veniam offensarum, quas ipse in Deum commisit, magis est dispositus: sic e diverso qui offensam proximo dimittere non vult, indignum se reddit, cui offensam remittat Deus.

Denique dicendo nos etiam inimicis nostris injurias remittere, misericordiam nobis placere ostendimus, & condonationem illam pro generosi ac nobilis animi argumento à nobis haberi: ut si quando nos à Deo misericordiam petimus, ille non respondeat: Quomodo tu misericordiam à me petis, qui hostis es misericordiæ? & quomodo vis ut ego tibi condonem, qui condonationem abjecti animi signum esse existimas?

*D.* Declara mihi sextam petitionem, Et ne nos inducas in tentationem.

*M.* In hac petitione adversus futura mala auxilium petitur, videlicet

*Gregor.  
Nyss. Or.  
5. in Oo  
rat.*

*Dom.*



*Cyr. ca.  
tech. 5.  
Myst.*

*Hil. &  
Hier. in  
c. 6.  
Matt.  
Aug. Ep.  
121. c. 11.*

*Gregor.  
Nyss. or.  
5. Cypr.  
ser. 6.*

delicet adversus tentationes per quas in peccatum impellimur. Scias igitur, nos hic præcipue Deum orare, ne nos à tentatione superari sinat. Verùm quia tentationes admodum sunt periculosae & incerta earum victoria, ideo petitur etiam, ne nos Deus tentari permittat, tunc præsertim, quando videt diabolum fore victorem. Unde colligimus insigne documentum, quod nimirum diabolus non solum nos vincere non possit, sed ne tentare quidem, nisi Deus permittat.

*D.* Non satis intelligo has voces; & ne nos inducas in tentationem. Videtur enim iis significari, quòd Deus nos soleat in tentationem inducere, nosque ne id faciat rogare.

*M.* Inducere in tentationem, vel tentationem ad malum immittere, aut ad peccatum impellere, proprium diaboli est, nequaquam verò Dei, qui peccatum summo odio persequitur. Nihilominus juxta Sacrae Scripturae phrasim loquendo, ubi subinde id Deo tribuitur, inducere in tentationem nihil aliud est, quàm quòd Deus aliquem tentari, aut tentatione superari permittat. Quare sensus petitionis hujus, is est quem diximus: nimirum, quòd cum hinc naturæ nostræ fragilitatem agnoscamus, inde verò diaboli fraudulentiam



lentiam & potestatem ; Deum prece-  
mur ut non modò non permittat nos  
à tentatione superari, sed neque tenta-  
tione pulsari, tunc , quando videt nos  
victoriam non relatuos.

D. Restat ultima petitio , Sed libera  
nos à malo. De quo malo in hac petiti-  
one est sermo ?

M. Ultima hæc petitio partim con-  
firmat petitionem superiorem , partim  
verò novi quippiam apponit : ideoque  
ait, Sed libera nos à malo: id est , non  
solum petimus ut peccata præterita  
nobis condonet, & à futuris præseruet,  
sed etiam ut ab omnibus præsentibus  
malis nos liberet. Adverte etiam quàm  
appositè ac sapienter Dominus noster  
nos doceat , ut liberationem ab omni  
malo in genere petamus , non verò  
ad particularia descendat , verbi gratia  
paupertatem, aegritudinem, persecutio-  
nes & similia ; quia frequenter pu-  
tamus rem aliquam bonam esse, quam  
nobis noxiam fore videt Deus ; &  
contrà , putamus noxiam, quam De-  
us videt nobis utilem futuram. Qua-  
re secundum doctrinam Domini pe-  
timus , ut nos liberet ab omni ea re ,  
quam noxiam iudicat , siue ea prospera  
sit, siue adversa.

D. Quid significat, Amen ?

M. Vocula hæc Hebræa est, & sic-  
ut

*Cypr.  
ser. 6.  
Aug. l.  
2. de ser.  
in monte  
Beda &  
Rupert.  
in c. 6.  
Matt.*



ur ante jam dixi, tantundem est ac si diceretur, hoc fiat; aut, sic est. Et quemadmodum Amen in fine Symboli Apostolorum idem est atque, Sic est; ita in fine Orationis Dominicæ, Amen tantundem est, ac, Ita fiat; sic desidero, sic rogo ut fiat.

## CAPUT V.

*Explicatio Salutationis Angelicæ.*

**D.** QUANDO quidem Orationem Dominicam explicasti, peto nunc ad Salutationem Angelicam deinceps mihi explices.

**M.** Libentissimè id faciam, quia desidero, ut beatissimæ Virginis summus cultor evadas. Salutatio autem illa his verbis continetur.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ, Amen.

**D.** Quare Orationi Dominicæ Salutatio Angelica ordinariè subnectitur, potius alia quævis oratio?

**M.** Ideo quia apud Christum neminem habemus potentio-  
ratum



catum & Mediatorem sanctissima eius  
Matre: quare oratione quam Christus  
nos docuit ei oblatâ, ad Matrem illius  
convertimur, ut sua nobis intercessione  
assistat, quò ea omnia quæ in oratio-  
ne Dominica petivimus consequamur.  
Quemadmodum in mundo fit: ubi  
postquam supplicationem aliquam in  
scriptis Principi obtulimus, negotii  
successum ei apud Principem majori  
pollet autoritate, commendare sole-  
mus.

D. Quis Salutationem Angelicam  
composuit?

M. Composuit eam Deus ipse:  
quamvis non per os suum, sed per os  
Gabrielis Archangeli, S. Elisabethæ, &  
S. Matris Ecclesiæ nos eam docuerit:  
Nam verba illa, Ave gratia plena, Do-  
minus tecum: benedicta tu in mulie-  
ribus, Gabriel Archangelus elocutus  
est, sed veluti legatus Dei, adeoque  
Deus ipse per os legati sui ea protulit.  
Porro hæc, Benedictus fructus ventris  
tui, S. Elisabetha adjecit, cum plena es-  
set Spiritu sancto, ut Lucas Evangeli-  
sta testatur: unde dicimus Spiritum  
sanctum per os Elisabethæ ea prolocu-  
tum esse. Reliqua verba omnia S. Ma-  
ter Ecclesiæ adjecit, quæ ab eodem  
Spiritu sancto regitur atque instruitur.  
Quare meritò dici potest post Oratio-

Luc. 1.

D nem



nem Dominicam, quam ore suo Christus Dominus docuit, nullam prorsus Salutatione Angelicâ præstantiorem esse, utpote ab ipso Deo compositâ, nobisque per oia sævorum ejus præmulgatâ.

*D.* Veniamus ad ipsam explicationem. Quare dicimus, Ave Maria?

*M.* Hæc est formula qua illam salutamus, ut nos amicos, illique nos monstremus, ideoque eam adire audeamus. Utimur verò verbis Angeli, quia scimus quantopere gaudeat bonum illud unicum frequenter audire, quod illi per Angelum, cum hæc verba diceret afferebatur. Gaudet præterea, quòd divini beneficii memores nos videt, & erga benefactorem gratos.

*D.* Quid significat, Gratia plena?

*M.* Gratia Dei tres potissimum effectus in anima operatur: primus est, quòd peccata deleat, quæ velut maculæ animam defœdant. Secundus, quòd donis virtutibusque eam exornet. Tertius, quòd robur suppeditet ut merito-rijs operibus, Deoque gratis insistat. Beatissima Virgo Domina nostra gratia plena erat, quia quantum ad primum effectum attinet, nullius peccati maculâ, nec originalis, nec actualis, mortalis aut venialis unquam fuit infecta.



fecta. Quantum ad secundum, habuit omnes virtutes, donaque Spiritus sancti in perfectissimo gradu. Denique quantum ad tertium, exercuit opera adeo Deo grata ac meritoria, ut digna fuerit omnes Choros Angelorum, cum corpore simul ac anima transcendere.

*D.* Non apparet Dominam nostram, majorem gratiam aliis Sanctis habuisse, quia sæpè audivi dici S. Stephanum aliosque Sanctos plenos Spiritu sancto fuisse.

*M.* Tametsi alii Sancti etiam dicantur pleni gratiâ fuisse, nihilominus illis omnibus majorem gratiam habuit sanctissima Virgo, quia Deus illam majoris gratiæ quam ullum Sanctum, capacem fecit. Exemplo hoc declarabo. Sint plura vasa quorum unum altero majus & capacius sit, hæc si impleantur balsamo, omnia plena erunt, & tamen in uno plus erit balsami, in altero minus. Et ratio est, quia Deus reddit homines majoris vel minoris gratiæ capaces, pro qualitate officiorum ad quæ illos destinat. Cum ergo nullum sit unquam majus officium in puram creaturam collatum, quam esse Matrem Dei: ideo hæc capacior facta est, & majore gratia, quam ulla alia pura creatura impleta.

*D.* 2

*D.* Quid



D. Quid significat Dominus tecum?

*Aug. de  
nat. &  
grat. c.  
30.*

M. Hæc altera singularis laus est beatæ Virginis, qua significatur Dominum nostrum ab initio conceptionis ejus illi affuisse, gubernasse, instruxisse ac tutatum esse. Unde factum est, ut nec cogitatione, nec verbo, nec opere ullum unquam peccatum admiserit. Quare Deus non solum eam ornavit omnibus gratiis, sed etiam cum ea, tanquam tanti thesauri custos, degere voluit.

D. Quid sibi vult, Benedicta tu in mulieribus?

M. Hæc tertia laus est, quæ Dei paræ tribuitur: eaque ostenditur non solum illam fuisse plenam gratiis Virgini convenientibus, sed illas insuper habuisse, quæ maritatas exornant, ut absolute mulieres omnes, sive quæ nunc sint, sive quæ futurae sint, transcendat. Benedictio mulieris maritatae est, fecunditas, quæ D. Virgini non defuit, quia filium peperit centum millibus filiorum pretiosorem. Potest etiam dici Mater infinitorum panè filiorum esse: quia omnes boni Christiani fratres Christi sunt, & consequenter hujus Matris filii, non quidem per generationem & naturam, quo modo solus Christus filius ejus est, sed per amorem maternumque affectum quem erga



erga omnes induit. Unde meritissime dicitur in mulieribus omnibus benedicta, quia ceteræ vel Virginitatis honorem habuere, sine fecunditate, vel benedictionem fecunditatis, sine virginitate; hæc sola ex peculiari Dei privilegio, honorem virginitatis cum summa felicissimaque fecunditate conjunxit.

D. Quid significat, Et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus?

M. Hæc quarta laus est, quæ beatæ Virgini attribuitur: quod scilicet non solum ex seipsa omni honore digna sit, sed etiam propter fructum uteri sui. Ut enim fructus arborem ipsam commendat, sic quoque gloria filii in matrem redundat. Et quia Dominus Jesus non solum est verus homo, atque inter homines benedictus, sed etiam Deus, benedictus super omnia. D. Paulo teste: ideo & Mater ejus non solum est inter mulieres, sed etiam inter omnes tam cælestes quam terrestres creaturas benedicta.

D. Declara mihi reliqua hujus Salutationis verba.

M. In sequentibus verbis præcipuam laudem Domine nostræ repetit Ecclesia, quæ est, esse Matrem Dei, eaque demonstrat illam quidquid voluerit ab eodem Deo impetrare posse: quare

D 3                      prece



precatur, ut intercedat pro nobis, quandoquidem nos, utpote peccatores, ejus intercessione indigemus : ac item ut quoad vixerimus, ac præsertim in articulo mortis, quando in majore periculo versabimur, semper nos adjuvet.

*D.* Quare quotidie trino campanarum pulsu, ad Ave Maria dicendum monemur, mane, meridie, & vespere?

*M.* Ut erudiamur opus nobis imprimis esse sæpe ad auxilium Dei ac Sanctorum recurrere, cum in medio hostium nostrorum tam visibilium, quam invisibilium degamus: nec satis esse nos ad orationis arma in principio operis recurrere, sed etiam in progressu ac fine operis id ipsum faciendum esse. Aliud insuper mysterium in trino hoc pulsu latet. Vult nimirum Ecclesia Mater nostra, nos trinum principalium mysteriorum redemptionis nostræ continuam habere memoriam, nempe Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Christi. Quare jubet Matrem Dei salutari manè, in memoriam Resurrectionis; meridie, in Passionis, vespere in memoriam Incarnationis. Nam sicut certissimum est Christum circa meridiem cruci affixum, & manè resurrexisse, sic credimus illum noctu humanam naturam assumpsisse.



## CAPUT VI.

*Explicatio Decalogi seu decem Præceptorum Dei.*

**D.** Intellecto jam Symbolo Apostolico. Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, Decalogum mihi explicari cuperem, qui, ut initio dixisti, tertia pars principalis est doctrinæ Christianæ.

**M.** Prudenter agis, quòd decem Præcepta divinæ legis ediscere ac intelligere desideres: nam fides & spes sine charitate & observantia divinæ legis, non sufficiunt ad salutem.

**D.** Cum in mundo & Ecclesia tot sint leges ac præcepta, quid causæ est cur hæc lex & decem Præcepta continens cæteris omnibus anteponatur?

**M.** Multæ rationes adduci possunt ad legis hujus excellentiam demonstrandam. Primò, quia hæc lex à Deo instituta est, & ab ipsomet initio quidem in cordibus hominum descripta, deinde verò duabus tabulis marmoreis incisa. Secundò, quia antiquissima est origo ac fons. Tertiò, quia hæc lex est omnium legum quæ inveniri possunt

*Exod. 31**18. 29. 34**v. 1.*



generalissima : ut quæ non solum Christianos obliget, sed Judæos etiam ac Gentiles, ut viros sic & mulieres: ut divites sic & pauperes: ut doctos sic & indoctos. Quartò, quia hæc lex immutabilis est, nec hominis cujusquam dispensationem admittit. Quintò, quia hæc lex omnibus ad salutem necessaria est, uti Dominus noster sæpius in Evangelio protestatur. Sextò, quia maxima cum solemnitate in monte Sinai promulgata fuit: tubis scilicet Angelicis personantibus, cum tonitru ac fulgure, & in populi Dei præsentia.

*D.* Antequam ad explicationem Præceptorum in particulari veniamus, scire desidero horum Præceptorum summam & ordinem.

*M.* Finis omnium Præceptorum est charitas Dei & proximi : omnia enim docent nec Deum offendendum esse nec proximum : quare etiam in duas partes sunt distributa, duabusque tabulis, ut supra dixi, marmoreis incisa. In priori tabula tria præcepta, obligationem nostram erga Deum declarantia, continentur. In posteriore verò septem præcepta proponuntur, obligationem nostram erga proximum inculcantia. Sed scias velim, quod tamen si in una tabula tria tantummodò, in altera septem contineantur, nihilomi-

*S. Tho.*  
*1. 2. q.*  
*100. a. 8.*

*Matt. 19*  
*17.*

*Exod.*  
*20. 18.*

*1. Tim. 1.*  
*5.*

*Clemens*  
*Alex.*  
*Stro 6.*  
*Aug. q.*  
*1. in Ex-*  
*od. 6.*  
*Ep. 119.*  
*6. 11.*



hæc ambæ tabulæ æquales, & Scriptura plenæ fuerint: quia priora illa pluribus verbis, posteriora paucioribus descripta sunt. Atque ita septem illa præcepta, breviter quoad verba, æqualia sunt illis tribus latius expressis.

D. Quare præcepta primæ tabulæ tria dumtaxat sunt?

M. Quia docent nos Deum amare debere corde, ore, & opere.

D. Quare sunt septem præcepta secundæ tabulæ?

M. Quia unum nos docet proximo benefacere reliqua sex ne eidem faciamus malè, primò quidem personæ, deinde honori ejus, tertio fortunis: & hoc nec opere, nec ore, nec corde.

D. Progrediamur nunc ad præcepta ipsa. Et primò quidem doce me verba illa, quibus à Deo in tabulis descripta fuerunt.

M. Verba sunt hæc. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra *Exod.*  
Ægypti, de domo servitutis. *20. 2.*

1. Non habebis Deos alienos coram me.

2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

3. Memento ut diem Sabbati sanctifices.

4. Honora patrem tuum & matrem tuam.

D §

5. Non



5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

9. Non concupisces uxorem proximi tui.

10. Non concupisces bona proximi tui.

*D* Quid significant illa verba, quæ decem Præceptis præmittuntur?

*M.* In verbis illis quatuor rationes comprehenduntur, quibus demonstratur Deum nobis legem dare posse, nosque ad illius observantiam obligari. Prima ratio illis verbis continetur: Ego sum Dominus. Cum enim Deus, principalis ac supremus Dominus noster sit, qui nos creavit ex nihilo, absque dubio potest nobis, tanquam servis suis legem præscribere. Altera in verbo, Deus, comprehenditur: quo non solum Dominum illum esse ostenditur: sed etiam supremum Judicem ac Gubernatorem; adeoque posse leges condere, & prævaricatores punire. Tertia in voce, tuus, continetur: nam præterquam quod Deo obligati simus obedire, velut servi Domino, & subditi Judici, adhuc ulteriorem habemus obligationem ratione pacti quod nos cum illo, & ille nobis cum iniit in Baptismo. Nam in eo nos

Deus



Deus adoptavit in filios, & nos illum vicissim in Patrem delegimus: quem admodum etiam Deus Fideles omnes in peculiarem sibi populum elegit, & Fideles Deum pro Deo ac Domino suo assumpserunt. Quarta est in his verbis: Qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Quia ad adeo multiplices obligationes, etiam obligatio gratitudinis accedit. Deus enim nos a servitute diaboli & peccati vindicavit, quæ in Ægyptiaca Pharaonicaque servitute, ex qua populus Judæorum a Deo liberatus est, adumbrabatur.

*Explicatio primi Præcepti.*

D. Explica mihi nunc primum Præceptum.

M. Primum Præceptum tria complectitur: Primum est, quod Deum pro Deo teneamus agnoscere. Secundum, quod non liceat ullam aliam rem pro Deo habere. Tertium, quod neque liceat idola, id est, statuas vel imagines fabricari, quæ pro Diis habeamus: neque ea adorare.

D. Explica partem primam.

M. Deus pro eo haberi vult qui est, nimirum pro vero Deo: quod tunc fit, quando se homo in quatuor virtutibus

D s                      Dus



bus ad Majestatem divinam pertinentibus exercet, hoc est, in fide, spe, charitate & religione. Qui enim credit in Deum, agnoscit Deum pro Deo, id est, pro summa veritate: in quo delinquant hæretici, qui in illum non credunt. Qui sperat in Deum, ille similiter Deum pro Deo agnoscit, utpote quem pro fidelissimo, misericordissimo ac potentissimo habet, & confidit quod in omnibus necessitatibus ei possit & velit auxiliari. In quo peccant illi, qui desperant de misericordia Dei: aut qui in hominem magis sperant quam in Deum, aut certe perinde homini ut Deo confidunt. Qui diligit Deum super omnia, Deum pro Deo habet, id est, pro summo bono. In quo peccant graviter, qui quamlibet creaturam aut patrem Deo, aut æqualiter cum Deo diligunt: gravius verò qui Deum odio habent. Denique qui Deum summa cum reverentia adorant (quod virtus Religionis docet) ille Deum pro Deo habet: quia Deum principium, auctoremque rerum omnium agnoscit. In quo peccant qui Deum & res illi consecratas parvi æstimant, templa scilicet, vasa sacra, Sacerdotes & similia: ac illi etiam qui homines aut plus, aut æquè ac Deum honorant.



D. Declara mihi alteram hujus præcepti partem.

M. In altera parte vetat Deus, ne ullam rem creatam Dei loco habeamus: in quo olim Gentiles deliquerunt, qui non cognoscentes verum Deum, varias creaturas, ut solem, lunam, aut defunctos homines pro veris Diis habuerunt & adoraverunt. In eodem peccant venefici & veneficæ. Item præstigiatores, nectomantici & divinatores, qui diabolo eum honorem deferunt, quem ubi Deo deferre debuissent. Imò plerique illotum habent & adorant illum pro Deo suo, illiusq; opè de futuris certo divinate, aut absconditos thesauros invenire, aut inconcessas voluptates assequi sperant. Et quia diabolus hominum est hostis capitalis, ideo hos omnes miserè decipit, & inani spe lætatos in varia peccata impellit: ac denique animam eorum perdit: & multoties etiam corpus.

D. Declara mihi tertiam partem.

M. In tertia parte præcipit Deus ut non modo non habeamus rem aliquam creatam pro Deo, ut dictum est: sed neque formemus aliquid, quod pro Deo habeamus & adoremus. In quo Gentiles peccarunt, qui adeo fuerunt cæci, ut fabricarent sibi Idola ex auro, argento, ligno, aut lapide, sibi que



persuaderent illa Deos suos esse: maxime quia infernales illi spiritus interdum ea subintrabant, & ex iisdem loqui, eaque movere videbantur: itaque eis serviebant homines, & sacrificia illis offerebant. Quod quia SS, Martyres facere detrectabant, gravissimis suppliciis ab ipsis excarnificati morte etiam mulcebantur.

*D.* Estne aliud quippiam residuum in hoc præcepto?

*M.* Est planè: Deus enim prævaricatori ejus, gravissimam pœnam intentat, observatori verò præmium promittit. Postquam enim præceptum hoc dedisset, adjunxit. Ego sum Deus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Ubi advertendum est Dominum dicere, se zelosum Deum esse, qui severissimè punire possit, quia Deus est, & velit, quia maximo honoris sui, justitiæ, ac æquitatis zelo ducitur: ac propterea ferre nequeat impietatem & injustitiam. Quod contra illos est, qui tamen si continuè peccent, tamen securi ac læti vivunt, ac si nihil eos curaret Deus: verum jam vides illa Deo curæ esse, quod & suo tempore demonstrabit.

*D.* Quid



D. Quid sibi vult, quod prævicatorum dicatur Deus punire usque in quartam generationem, observantes vero mandatorum suorum in mille?

M. In quartam generationem usque punit Deus, quia licet homo diu vivat, non tamen nisi filiorum suorum nepotes, aut nepotum nepotes videre solet: non vult autem Deus nisi in illos posteriores vindictam suam descendere, ad quos peccator vita sua pertingere potest. Contra vero bene operantibus non modo in tertiam & quartam generationem, bonitatem suam extendit; sed etiam in millesimam, si tam multae darentur, se eam extensurum promittit: Quia Dominus noster propior est in premium, quam in poenam, quia premium & retributio ab illius bonitate fluit; adeoque in ea plurimum sibi complaceat: at punitio a peccatis nostris ortum trahit & propterea invitus, & quasi peccatis nostris coactus illam facit.

D. Quare minae illae ac promissa divina primo dumtaxat praeecepto appenduntur?

M. Quia hoc principale mandatum est, & gravissimum inter omnia: & quod de illo dicitur, id de caeteris etiam est intelligendum.

D. Scite velim, an huic divino praeecepto



cepto adverteretur honor ille quem Sanctis, eorumque Reliquiis ac imaginibus exhibemus: quia apparet nos omnia illa adorare, quandoquidem genua coram illis flectimus, orationique, uti coram Deo, insistimus.

*Eph. 5.  
23. Ep.*

*Aug. 20  
contra  
Faustū  
t. 12.*

M. Ecclesia Sponsa Dei est, ejusque Magister est Spiritus sanctus: unde periculum non est ne decipiatur, aut qui propriam faciat, aut faciendum doceat, quod Dei præceptis adversatur. Cæterum; ut in particulari tibi respondeam, honoramus, invocamusque Sanctos, ut amicos Dei, qui suis meritis & orationibus nobis adjumento esse possint: non tamen eos pro Diis habemus, nec ut Deos adoramus. Neque obstat quod coram illis genua flectimus, quia cultus ille non solius Dei proprius est, sed creaturis etiam, præsertim sublimioribus defertur: ut summo Pontifici ac Regibus. Quin & multis locis usitatum est ut Religiosi coram Superioribus suis genua flectant, quare mirum non est, si Sanctis in cœlum Christo regnantibus talem cultum exhibeamus, qualis quibusdam etiam hominibus in terra degentibus exhibetur.

D. Quid ergo de Reliquiis Sanctorum dicemus, quæ etsi nullo sensu polleant, ad eas tamen genua flecti-



flectimus & oramus?

M. Nequaquam preces ad Reliquias dirigimus, quas probè scimus sensus esse expettes: sed ideo illas honoramus, quia sanctarum illarum animarum instrumenta fuere, quibus tam præclara virtutum opera, vitæque æternæ meritoria ediderunt: & suo tempore viva ac gloriosa corpora existent: nunc verò pretiosa quædam pignora sunt amoris quem erga nos gesserunt ac etiam gerunt Sancti. Et ideo ante Reliquias Sanctorum preces fundimus, orantes ipsosmet Sanctos ut per dulcissima illa pignora, quæ tenemus, nobis opitulari meminerint, uti nos honoris illis impendendi meminisse ostendimus.

D. Anne idem de imaginibus dici potest?

M. Sic est: quia imagines Domini nostri, D. Virginis & Sanctorum nequaquam à nobis pro Diis habentur: quare neque idola vocari queunt, ut illæ Gentilium: sed solummodo imagines sunt, quæ memores nos reddant Christi, B. Virginis & Sanctorum: adeoque librorum loco sunt iis qui legere nesciunt: quia ex iis multa mytheria Catholicæ Fidei addiscunt, vitam etiam ac mortem mul-

*Ambrosius  
de vid.  
Hieronimus  
cont. Vigi-  
gilo*

*Concilium  
Nicænum  
II.*

*Damasceus  
Orat. de  
imag. De  
Gregorius  
Ep. ad  
Serenum*



*Trid. s.*  
25.

multorum Sanctorum. Neque illas propterea honoramus quod imagines sint ex charta aut quovis metallo formatae, vel quod affabre factae sint: sed quia Christum, B. Virginem, aliosve Sanctos repraesentant. Et quia scimus imagines vitae ac sensus expertes esse, ut quae hominum manibus fabricatae sunt, nihil ab eis petimus: sed ante eas orantes, auxilium imploramus eorum quos referunt, hoc est, Christi, B. Virginis aliorumque Sanctorum.

*D.* Si Reliquiae & imagines Sanctorum sensus expertes sunt, quomodo ergo tot ac tanta miracula fiunt in gratiam illorum qui se illis commendant?

*M.* Omnia miracula à Deo fiunt: sed saepe per intercessionem Sanctorum, & praesertim SS. Matris suae: idque his frequenter, qui coram huiusmodi imaginibus aut Reliquiis Sanctos invocant. Imò verò saepe Deus ejusmodi Reliquiis atque imaginibus velut tantorum miraculorum instrumentis utitur, ut ostendat placere sibi devotionem illam Fidelium erga Sanctos, eorumque Reliquias & imagines.

*D.* Igitur quando dicitur aliquis se tali imagini commendasse & gratiam optatam obtinuisse, intelligendus est illi Sancto se commendasse cujus sunt  
Reli-



Reliquiæ vel imago: & quod Deus per  
intercessionem illius, & mediantibus  
ejusdem Reliquiis vel imagine gratiam  
illam contulerit.

*M.* Ita est: & gaudeo te adeo bene  
quæ dicta sunt percepiſſe.

*D.* Cupeſem tandem ſcite, quare  
Deus Pater in ſpecie ſenis pingatur, &  
ſpirtus ſanctus in ſpecie columbæ:  
Angeli vero in forma juvenis alati:  
cum Deus & Angeli ſpirtus ſint, nec  
figuram corpoream habeant, quam  
pictores, ad inſtar hominum, depingere  
poſſint.

*M.* Quando Deus Pater inſtar ſe-  
nis depingitur, ſpirtus ſanctus inſtar  
columbæ, & Angeli inſtar juvenis ala-  
ti: non ideo hoc fit, quod revera tales  
ſint; nam, ut rectè dixiſti, ſpirtus ſunt  
incorporei: ſed ideo ſic pinguntur,  
quia in tali ſpecie ſæpius hominibus  
apparuerunt. Et quidem Deus Pater  
inſtar ſenis; quia Danieli *a* Prophætæ  
in viſione talis apparuit: & ſpirtus  
ſanctus in ſpecie columbæ ſuper Chri-  
ſtum baptizatum *b* a S. Joanne Baptiſta  
requieſcere viſus eſt: Angeli *c* denique  
multoties in forma juvenis appaue-  
runt. Sed & hoc advertendum eſt,  
multa depingi certa aliqua forma, non  
quod in ſe talia ſint, ſed ut intelligamus  
quales proprietates habeant, vel qua-  
les

*a Dan. 7*

*9.*

*b Ioan. 1.*

*32.*

*c Gen. 18*

*2.*

*Tob. 5. 5.*



les effectus soleant causare: Sic pingitur Fides specie mulieris, calicem manu gestantis: Charitas specie mulieris aliquot puerulis circumdatae: cum tamen te non lateat, eas non mulieres esse, sed virtutes. Ad eundem modum dici potest Deum Patrem in forma senis depingi, ut doceamus illum antiquissimum esse, id est, æternum, omnibusque rebus creatis priorem. Spiritum autem sanctum in specie columbae, ut dona quæ in nobis operari solet, videlicet innocentia, puritas & sanctitas indicentur. Angeli denique in specie juvenis pinguntur, quia semper formosi vegetique sunt: item alati, quia quantocius eò se conferunt, quo à Deo destinantur: ac item in vestibus albis, stolisque sacris, quia puri ac innocentes sunt, divinæque Majestatis ministri,

*Explicatio secundi Præcepti.*

**D.** Pregrediamur nunc ad alterum Præceptum. Quid significat, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum?

**M.** In hoc Præcepto igitur de honore & inhonoratione Dei, quæ verbis fit: præcipitur enim honor, & inhonoratio prohibetur. Unde hoc præceptum



cum quadrifariam dividi potest: quia quatuor modis honoratur Deus verbis, & totidem modis, inhonoratur. Primò honoratur Deus verbis, cum ex affectu charitatis nomen ejus eloquimur, inhonoratur verò, cum illud ipsum nomen in vanum assumitur. Secundò honoratur juramento, & inhonoratur perjurio. Tertiò honoratur votorum nuncupatione, & eorundem violatione inhonoratur. Quartò denique honoratur invocatione ac laude, blasphemia verò & maledictione inhonoratur.

D. Explica mihi primam partem.

M. Nomen Dei, B Virginis & Sanctorum, simpliciter loquendo, potest & benè & male usurpari. Illi enim qui impensius Deum diligunt, Dei frequentissimè recordantur, & de Deo loquuntur: quod ex magna devotione & affectu faciunt, uti ex Epistolis S. Pauli constat, in quibus identidem legitur nomen D. N. Jesu Christi, quia illud eodem modo in corde gestavit S. Paulus, quo ore ac scriptis circumtulit. Sed sunt alii qui ex prava consuetudine, quando vel irati sunt, vel jocantur, nomen Dei, aut Sancti alicujus temerè proferunt, eò quod nihil aliud eis in mentem veniat. Hi admodum malè agunt, quia sanctissimum Dei nomen quodammodo pedibus conculcant. Quod ut exemplo

*Theod.*  
*9.41. in*  
*Exod.*



plo, tametsi non per omnia simili de-  
clarem, perinde tales agant ac si quis  
vestem valde pretiosam habens, cā om-  
ni tempore & loco, incuriose admodum  
uteretur.

D. Nunc ad alteram partem, quæ de  
juramento agit, gradum fac.

M. Jurare nihil est aliud, quam invo-  
care Deum in testimonium veritatis:  
quod ut bene fiat, tria debent adesse,  
veritas scilicet, justitia, & judicium:  
quemadmodum Deus ipse per os Je-  
remiæ Prophetæ nos docuit. Et sicut  
juramento cum debitis circumstantiis  
præstito honoratur Deus, dum prote-  
stamur illum omnia videre summè ve-  
racem, & acerrimum veritatis defen-  
sorem esse: sic è contrario valde in hono-  
ratur, si quis sine veritate justitia, aut  
judicio juret. Qui enim hoc facit, signi-  
ficat Deum vel non esse conscium sui  
negotii, vel certè mendacii aut iniqui-  
tatis esse patronum.

D. Declara magis in particulari, quid  
sit cum veritate jurare.

M. Qui volet jurare cum veritate,  
opus est, ut nihil aliud sub juramento  
asseveret, quàm quod certè sciat ve-  
rùm esse: nec quippiam jurando pro-  
mittat, nisi quod serè cupit adimple-  
re. Unde perjuris sunt, peccantque gra-  
vissimè, qui cum juramento affirmant

id

*Jerem.*  
*47.*



id verum esse, quod sciunt esse falsum; aut certe nesciunt num verum sit. Similiter & illi, qui cum juramento promittunt, quod tamen adimplere non cogitant.

*D.* Quid est cum iustitia jurare?

*M.* Tantundem est ac promittere sub juramento se facturum quod iustum est ac licitum. Et ideo peccant gravissimè qui jurant se illatas sibi injurias vindicatos, aut facturos aliquid quod Deo displicet: neque talibus promissis standum est, aut cogitandum, se illis aliquo modo obligari: nemo enim obligatur ad faciendum malum: cum contra potius divina leges nos ad id non faciendum obstringant.

*D.* Quid est jurare cum iudicio?

*M.* Tantundem est ac jurare cum prudentia ac maturitate, considerando inconveniens esse, in testimonium advocare Deum, nisi ad necessarias magnique momenti, idque magno cum timore ac reverentia. Unde hic peccant qui in re qualibet parva, item inter jocos ac facetias juramento effutiunt: Qui etiam ex mala consuetudine frequentius jurandi, facile perjurium incurrunt, quod unum est ex peccatis maximis, quæ committi possunt. Unde etiam Christus in Evangelio, quam

S. Jac



*Jac. 5.**Aug. lib.  
de serm.  
Dom. in  
monte c.  
30.**Chryf.  
hom. 36.  
37.38.**ad pop.  
Antio-  
chen.**D. Th  
2. 2. q.  
88. a. 1.*

S. Jacobus in Epistola sua prohibent ne omnino juremus, scilicet, sine necessitate. Cujus rationem hanc assignant Sancti, quod juramentum sit remedium quoddam infirmitatis humanae fidei, eò quod homines difficillimè sibi mutuo credant; quapropter eo tanquam medicina utendum est, quæ sumi solet quàm fieri potest rarissimè.

*D.* Declara mihi tertiam partem hujus Præcepti quæ agit de Votis.

*M.* Votum est promissio Deo facta de re bona & divinæ Majestati grata. Ubi tria consideranda sunt, primum est, quod votum sit promissio: unde ad edendum votum non sufficit solum propositum, & multò minus desiderium, sed expressa promissio necessaria est, vel ore, vel ad minimum corde facta. Alterum est, ut votum hoc Deo nuncupetur, ad quem propriissimè vota spectant. Quando ergo dicitur *D.* Virgini, aut alteri Sancto votum factum esse, intelligendum est, illud votum principaliter factum esse Deo, ad honorem tamen B. Virginis, aut Sanctorum, in quibus Deus modo peculiari, & longè excellentiori quàm in reliquis creaturis habitat. Quare votum factum alicui Sancto, nihil est aliud, quàm promissio Deo facta ad memoriam illius Sancti, aliqua oblatione hono-



honorandum, quod est ipsum Deum  
in Sancto suo honorare.

Tertium est, quod votum non pos-  
sit fieri nisi de re aliqua bona ac grata  
Deo, ut est virginitas, voluntaria pau-  
peritas, & id genus alia. Quare qui vo-  
vet peccatum, vel opus aliquod ad cul-  
tum Dei non pertinens, vel etiam bo-  
num aliquod, quod majoris boni esset  
impedimentum, utiq; divinæ Majestati  
rem gratam non faceret: ideoq; Deum  
inhonoraret, & in hoc secundum præ-  
ceptum delinqueret. Quemadmodum  
etiam graviter in hoc præceptum im-  
pingit, qui votum à se factum non im-  
plet, quam potest citissime. Quia præ-  
cipit in Scriptura Deus, ut voti nuncu-  
pator, non modò illud adimpleat, sed  
etiam ut id faciat sine mora.

*Deut. 23*

*21.*

*Eccl. 5.3*

**D.** Declara partem ultimam, quæ  
de laude Dei & blasphemia agit.

**M.** In hac ultima præcepti parte  
mandat Deus, ne Sanctum ejus no-  
men blasphemetur, sed contra, lau-  
detur & benedicatur. Et primò quan-  
tum ad laudem attinet, nulla diffi-  
cultas est, quandoquidem enim, u-  
ti manifestum est, omne bonum à  
Deo proficiscitur, omniaque ejus o-  
pera plena sunt sapientiæ, justitiæ  
& misericordiæ, rationabile in pri-  
mis est, ut in rebus omnibus laudetur



*S. Thom.*  
2.2.9.13

ac benedicatur. Quantum vero ad blasphemiam spectat, scias eam nihil esse aliud, quam injuriam verbis irrogatam Deo, vel secundum se, vel in Sanctis, cujus sex sunt genera. Primum est, quando id Deo tribuitur, quod illi non convenit: ut verbi gratia, quod cornua habeat, aut similis aliqua ineptia. Secundum, quando de Deo negatur id quod illi convenit, ut potentia, sapientia, justitia, aut alia ejus attributa: ut si quis diceret, Deum hoc vel illud non posse facere, aut non videre, aut justum non esse. Tertium, quando creaturae tribuitur id quod proprium Dei est, ut illi faciunt, qui dicunt diabolum præscium esse futurorum aut vera miracula edere posse. Quartum est, quando quis maledicit Deo, Matri ejus, aut aliis Sanctis. Quintum, quando quis aliqua membra Christi vel Sanctorum nominat ad irrogandam illis injuriam, quasi illis ignominiosa essent, ut nobis sunt. Sextum est, quando ad Christo, aut Sanctis illudendum, aliquid ad ipsos attinens nominatur: ut illi faciunt qui jurant per barbam Christi, aut S. Petri, aut quid simile, quæ omnia dæmonis invidia & hominum perversitate invecata sunt.

D. Dic quæso, quam grave peccatum blasphemiam sit.

M. Tam



M. Tam grave est, ut fere omnium sit gravissimum: quod ex pœna blasphemis constituta desumi potest. In veteri namque testamento præcepit illos Deus ab universo populo illico lapidari *a*; & jura civilia *b* blasphemos morte plectunt. D. Gregorius lib. 4. Dial. c. 18. refert quinquennem puerum, eò quod blasphemare didicisset, nec ideo à patre redargutus fuisset, in sinu patris expirasse, ejusque animam à demonibus visibiliter apparentibus in infernum deportatam fuisse: quod de nullo alio peccato legitur. Quare diligentissimè cavendum est, ne divinam Majestatem adeo graviter offendamus. Neque verò difficile est ab hoc peccato abstinere, cum ex eo neque utilitas aliqua, neque delectatio sequatur, ut ex aliis quibusdam peccatis; sed solum damnum quod secum trahit. Quamvis nunquam peccandum sit, quamcumque demum utilitatem vel delectationem ex eo quis posset nancisci.

*a Levitò*

24.14.

*b Just.**Novell.*

77.

*Explicatio tertii Præcepti.*

D. Priora duo præcepta intellexi, nunc tertium mihi explica.

M. Tertium præceptum quod est de sanctificando Sabbato est aliquantò ab aliis præceptis diversum. Cætera enim omnia, hoc est, duo præceden-



ria, & septem sequentia, sunt omnino naturalia: nec tantum Christianos, sed Judæos etiam & Gentiles obligant: At hoc tertium ex parte naturale est, & omnes obligat, ex parte naturale non est, nec obligat omnes. Nam dies festos sanctificare, id est, diem aliquem pro Sancto habere, eumque in bonis operibus, & præsertim in divino cultu transigere, est præceptum naturale; quia ratio naturalis id dicitur, ideoque etiam in omnibus mundi partibus dies aliquis festus celebratur. At verò determinatio talis diei, ut hic potius quam alius delegatur naturale non est. Quare apud Judæos principale festum erat Sabbatum, sed nunc inter Christianos talis est dies Dominicus.

*D.* Qua de causa præcepit Deus Judæis observationem Sabbati, potius quam cujuslibet alterius diei?

*M.* Duz sunt causæ principales. Prior est, quia Deus in Sabbato totius mundi fabricam complevit. In memoriam ergo tanti beneficii, videlicet creationis mundi diem illum sanctificari voluit. Quod insuper ad errorem illum quorundam Philosophorum confutandum faciebat, dicentium mundum fuisse ab æterno. Nam diem creationis mundi celebrantes, manifestè profitebantur illum aliquando habuisse pri-



principium. Altera causa est, quia voluit Deus ut postquam quis per sex hebdomadae dies servos suos; ancillas ac jumenta ad laborem impulit ac defatigavit, septimo die, id est, Sabbato, omnibus quietem tribueret: dominique erga servos suos, imò & erga jumenta misericordes esse discerent, non crudeles.

*D.* Quare nos Christiani non etiam Sabbatum colimus ut Judæi, cum ad hoc rationabiles observationis ejus causæ suppetant?

*M.* Gravissimis sanè de causis Sabbatum nobis in Dominicam mutavit Deus, uti & Circumcisionem in Baptismum, Agnum paschalem in sanctissimum Sacramentum, omnesque veteris Testamenti bonas caeremonias in meliores ritus Testamenti novi. Si enim Judæi Sabbatū coluerunt in memoriā creati mundi, quòd eo die ejus creatio completa sit: potiori certè jure à nobis Dominica in memoriā ejusdem creationis celebratur, quæ die Dominicâ inchoata est. Et si Judæi diem ultimū septimanæ Deo obtulerunt, quanto melius faciunt Christiani, offerētes primum? Præterea, in die Dominica trium principalium redēptionis nostræ beneficiorum memoria recolitur. Nam in Dominica Christus natus est, in Dominica resurrexit, & in Dominica Spiritus



ritum S. in Apostolos dimisit. Denique Sabbathum quietem illam designat quam SS. Patres habebant in Limbo: at verò Dominica significat gloriam, quam animæ beatæ jam possident, & olim etiam earum corpora in cælo possessura sunt. Colebant ergo Sabbathum Judæi, quia post mortem in Limbum tanquam in locum quietis descende-  
bant. At Christianis dies Dominicus colendus est, quia post mortem ad beatam paradisi gloriam ascendunt: Intel-  
lige si bona opera fecerint, & legi ipsis à Deo datæ conformiter vixerint.

*D.* Estne necessarium etiam alia festa præter diem Dominicam observare?

*M.* Sunt utique multa alia observanda, non modo Christi Domini sed etiam B. Virginis, & aliorum Sanctorum festa, quæ à S. Ecclesia observari iussa sunt. Sed nos præcipuè de Dominica egimus, quia festus ille dies antiquissimus est, & præ cæteris sæpissime celebratur: quemadmodum & apud Judæos plura fuerunt festa, sed antiquissimum maximum, & quod præ reliquis frequentius recurrebat, fuit Sabbathum. Quare etiam in Decalogo solius Sabbati expressa mentio fit, cui, ut diximus dies Dominica successit.

*D.* Quænam ad debitam Festi observationem requiruntur?

*M.* Duo



*M.* Duo: prius est, ut ab omnibus servilibus operibus abstineamus, illis videlicet, quæ ab operariis & servis fieri solent, corpore solo se defatigantibus. Nam opera illa, in quibus principaliter laborat intellectus, servilia vocari nequeunt, tamen si ad subsidium intellectus, etiam lingua, manus, aut aliud corporis membrum concurrat. Alterum est ut sacrosancto Missæ sacrificio personaliter intersimus. Et licet Ecclesia nos ad aliud non obliget, nihilominus admodum conveniens est, ut integer ille dies, aut prior illius pars in oratione, lectione spirituali, obeundis Ecclesiis audiendis concionibus, similibusque pietatis exercitiis transigatur. Ille enim est finis propter quem constituta sunt festa.

*D.* Si opera servilia in die festo non liceant, ergo neque licebit campanas pulsare, mensam apparare, aut cibos coquere; cum hæc omnia sint opera servilia.

*M.* Præceptum de non faciendis operibus servilibus, cum duplici conditione est intelligendum. Prior est, ut eiusmodi opera non sint ad sustentationem vitæ humanæ necessaria; quare coquere, apparare mensam, & similia, quæ pridie fieri nequeunt, permittuntur. Posterior est, ut non sint necessaria ad cultum divinum. Hinc pulsare  
campanas



campanas, aut alia id genus in Ecclesia peragere, quæ alio die fieri non possunt, permittitur. Permittuntur præterea diebus festis opera servilia, quando, ut fiant rationabili de causa Prælarus indulget.

*Explicatio quarti Præcepti.*

**D.** Sequitur quartum præceptum, quod de honorandis parentibus est: cupio mihi explicari, cur præcepta secundæ tabulæ ab honore patris & matris initium sumant.

**M.** Quemadmodum præcepta primæ tabulæ Deum, sic præcepta secundæ tabulæ proximo spectant. Et quia inter proximos nemo est nobis conjunctior, aut cui magis obstricti simus quam pater & mater, à quibus esse & vitam habemus, quod est bonorum omnium temporalium fundamentum, ideo justissima de causa præcepta secundæ tabulæ ab honore patris ac matris initium faciunt.

**D.** Quid per honorem patri ac matri debitum intelligitur?

**M.** Tria: subsidium, obedientia, & reverentia. Et primò quidem obligamur patri ac matri in necessitate subsidium præstare: quod subsidium in Sac. Scriptura honor appellatur. Nam valde rationabile est ut filii eorum vitam conservare nitantur, à quibus, ut viverent acceperunt. Deinde etiam ad obedientiam

*Jerem. 15*



dientiam patri ac matri præstandam *Coloss. 3:*  
 obligati sumus; ut D. Paulus ait Filii *20.*  
 obedite parentibus per omnia, hoc enim  
 placitum est in Domino; id est, in om-  
 nibus quæ voluntati divinæ sunt con-  
 sentanea. Nam si pater aut mater præ-  
 cipiant aliquid quod divinæ voluntati  
 difforme sit; tunc juxta præceptum  
 Christi; pater & mater odio habendi  
 sunt, hoc est, non est illis obediendum;  
 nec auscultandum, perinde ac si inimici  
 nostri forent, Deniq; tenemur patri ac  
 matri reverentiam exhibere, peculiarem  
 illorum respectum habendo, & actibus  
 exterioribus; uti patet honorando.  
 Quod tanti fecit Deus in Testamento  
 veteri, ut eum, qui patri aut matri male-  
 dixisset præceperit morte mulctari.

*Luce. 14:*  
 26.

*Levit.*  
 20. 9.

D. Ignoro, cur præceperit Deus in  
 Decalogo filiis ut patri ac matri suc-  
 currant, non verò vicissim patri ac ma-  
 tri; ut succurrant filiis: præsertim  
 quamdiu minores sunt, & adju-  
 tio egent.

M. Obligatio inter parentes ac filios  
 indubie reciproca est; & quemadmo-  
 dum hi obligati sunt subvenire, obe-  
 dire ac revereri parentes; sic & illi ob-  
 ligati sunt non solum de victu & ve-  
 stitu filiis providere, sed etiam ad vir-  
 tutem impellere ac informare. Sed  
 amor parentum erga filios tam est a-  
 m.



natura insitus, ut alia lege opus non sit, quæ eos obligationis hujus admoneat: è contra verò sæpissime videre est filios amoris parentum non correspondere ideoque necessarium fuit legem aliquam ferri, quæ eos obligationis suæ in parentes memores redderet. Neque verò satis Deo fuit nudum præceptum ferre, sed voluit etiam mortales ad illius observantiam tum promissis provocare, tum minis.

*D.* Age dic quænam hæc promissa, quæ minæ fuerint.

*M.* Quarto præcepto appendit Deus hæc verba: Ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, Ac si diceret: Qui patri ac matri honorem debitum deferunt, pro mercede vitam longam reportabunt: qui verò id non faciunt, inter alias insuper, & hac pœna plectentur, ut vita priventur longiore. Quæ pœna admodum rationabilis est: iniquum enim esset illum diu vivere, qui inhonorat illos à quibus vitam accepit.

*D.* Anne illud quod de patre ac matre dictum est, etiam de aliis in dignitate constitutis, quos parentum loco habemus, est accipiendum?

*M.* Rectissimè id considerasti: nam præceptum hoc ad Superiores omnes, tam Ecclesiasticos quam sæculares extendi debet.

Ex-



*Explicatio quinti Præcepti.*

**D.** Declara mihi nunc 5. præceptum.

**M.** Hoc præceptum vetat primariò homicidium, hoc est, occidere homines: alia enim animalia occidere hoc præcepto non prohibemur. Cujus ratio est, quod propter hominem creata sunt: quare quando id homini utile est, occidi possunt. Ac homo non propter alium hominem creatus est, sed propter Deum; adeoque unus homo non est vitæ alterius hominis dominus: unde nec illi licitum est alterum occidere.

**D.** Videmus tamen latrones aliosque malefactores à Principibus ac Præsidibus occidi, qui revera homines sunt: neque in hoc male, sed bene factum existimantur.

**M.** Principes ac Præsides publica authoritate præditi, malefactores occidunt, non ut vitæ illorum domini, sed ut Dei ministri, sicut D. Paulus testatur. Quia Deus vult ac mandat malefactores puniri, & si commeriti sint, etiam occidi, ut boni secure & quiete degere possint. Quapropter Principibus ac Præsidibus dedit Deus gladium in manus ad exercendam justitiam, ut bonos defendant, malos verò puniant. Unde quando jussu hujusmodi publicæ authoritatis maleficus occiditur, non dicitur fieri homicidium, sed actus ju-

Rom. 13

4.



stitiæ. Quando ergo hoc præcepto caveretur ut non occidas, intelligi debet, autoritate propria.

*D.* Occurrit mihi hic dubium, num hoc præcepto etiam prohibeatur quis occidere seipsum, sicut prohibetur occidere alterum?

*Aug.  
Civ. c.  
17. &  
seqq.*

*M.* Procul dubio præcepto hoc etiam prohibetur quis occidere seipsum: quia nemo vitæ suæ dominus est: nec propter seipsum homo, sed propter Deum creatus est: ideoque nemo propria autoritate sibi ipsi vitam adimere potest. Et licet quidam Sancti aut Sanctæ, ne fidei vel pudicitiae jacturam facerent sibi metipsis mortem consciverint, existimandi sunt peculiari ac manifesto Dei instinctu ad id permoti fuisse? alias enim eos à gravissimo crimine excusare non possemus. Nam qui seipsum occidit, hominem occidit, & consequenter homicidium facit: quod est peccatum hoc quinto præcepto principaliter prohibitum.

*D.* Quare dicis, principaliter?

*M.* Quia non tantum prohibitum est occidere, sed etiam vulberare, percutere alium; & quamlibet aliam injuriam vitæ aut personæ proximi irrogare. Atque ita Christus Dominus nollet præceptum hoc explicans omnem iram, odium, indignationem, rancorem,

*Matt. 5.  
22.*

affi-



affinesque affectus malos, aut verba, quæ homicidio viam sternere solent prohibet: & è contrario vult ut mansueti ac pacifici simus; pacemque & concordiam cum omnibus foveamus.

*Explicatio sexti Præcepti*

D. Quid sexto præcepto continetur?

M. Hoc præcepto continetur principaliter prohibitio adulterii, hoc est cum alterius conjugè peccare. Et quia in hoc mundo post vitam corporis, nihil pluriæ estimatur quàm honor, ideo post præceptum de non occidendo, convenientissimè prohibetur adulterium, quo honor deperditur.

D. Quare dicitur primario?

M. Quia decem præcepta, leges iustitiæ sunt, ideo in illis primario illa peccata prohibentur, in quibus primario iniustitia committitur: quale est adulterium. Prohibentur nihilominus secundario alia genera peccatorum carnalium; ut sunt, Sactilegium, quod cum persona Deo consecrata fit: Incestus, qui cum consanguinea: Stuprum, quod cum virgine: Fornicatio, quæ cum corrupta, libera tamen, ut vidua vel meretrice committitur, & aliæ magis abominandorum peccatorum species, quæ inter Christianos ne nominari quidè debent.

D. Credo quidem vera esse quæ à te dicta sunt: scire tamen velim, quo sua-

*Aug. q.  
71. in  
Exod.*

*Gen. 38:*



fundamento nitatur, fornicationem peccatum esse, cum non appateat cui damnum aut injuriam irroget, qui simplicem fornicationem committit.

*Gen. 38.*  
*28.*

*M.* Hujus rei fundamentum in omni lege reperitur, videlicet in lege naturæ, in lege scripta, & in lege gratiæ. In lege enim naturæ Patriarcha Judas occidi voluit mulierem Thamar vocatâ, quæ ipsius nurus fuerat, eo quòd in viduitate sua gravida inventa esset. Unde colligere est quòd illo tempore, priusquam lex Moyfi data fuisset, ex instinctu naturæ collegerint homines, fornicationem peccatum esse. Deinde in lege Mosaica

*Deut. 23*  
*17.*  
*1. Cor. 6.*  
*9.*

variis locis prohibetur fornicatio: & in *D. Pauli* Epistolis frequentissimè legimus, quòd fornicatores regnum Dei ingressuri non sint. Præterea falsum est nemini fornicatione damnum inferri: quia infertur damnum mulieri, quæ peccam infamis redditur: itè proli quæ illegitima nascitur. Item fit injuria Christo quòd cum omnes simus membra Christi, is qui fornicatur faciat se membrum meretricis. Fit denique injuria Spiritui sancto, quia corpora nostra templum sunt Spiritus sancti: quare quisquis corpus suum fornicatione contaminat, templum Spiritus sancti prophanat.

*D.* Anne præter peccata quæ commemorasti, aliud quippiam hoc præcepto prohibetur? *M. Pro-*



*M.* Prohibentur etiam hoc præcepto omnia alia inhonesta opera, quæ viam ad adulterium aut fornicationem præparant, ut sunt lascivi aspectus, libidinosæ oscula, & similia: sic enim nos in Evangelio Dominus docuit, dum in declaratione hujus sexti præcepti ait: Qui videt mulierem ad concupiscendum eam, jam mechæus est eam in corde suo. Quare si quis hæc peccata serîo velit effugere, necessarium est ut sensus suos, ac præsertim oculos accuratissimè custodiat, per quas velut fenestras in animam mors ingreditur.

*Matt. 5.  
28.*

*Explicatio Præcepti septimi.*

*D.* Quid præcepto septimo continetur?

*M.* Continetur prohibitio furti, ut videlicet aliena bona invito Domino non auferantur. Et quidem convenienter prohibitio furti, homicidii atque adulterii prohibitionem subsequitur: quia inter bona mundi hujus nihil plurius post vitam honore, & post honorem bonis ac fortunis æstimatur.

*D.* Quot modis contra hoc præceptum peccatur?

*M.* Duobus præcipuè, sub quibus reliqui omnes comprehenduntur. Primò, quando alterius bona clam auferuntur, quod propriè furtum vocatur. Secundò, quando palam bona illa rapiuntur,



tuntur, ut assassini seu latrones faciunt, & rapina vocatur. Licet autem de prioribus duntaxat modo præceptum hoc loqui videatur, dum ait: Non furaberis: nihilominus, de altero quoque modo id est accipiendum. Qui enim minus malum prohibet, etiam absque dubio prohibet majus.

*D.* Quænam peccata ad furtum, & rapinam reducuntur; & hoc præcepto prohibentur?

*Aug. q.  
71. in  
Exod.*

*M.* Hæc quæ sequuntur: Primò fraudes in emptione ac venditione, similibusque contractibus admittuntur: & hæc ad furtum reducitur: quia qui ejusmodi fraudem facit, clam plus aufert proximo, quàm sibi debeat. Secundò, usura omnis quæ in pecunia exercetur, cum pacto, ut amplius aliquid ipsa summâ capitali recipiatur: quæ ad rapinam reducitur. Nam qui fœneratur palam plus exigit quàm dederit. Tertiò damna omnia quæ irrogantur proximo, tametsi illator damni nihil inde luctetur: ut si quis alterius domum incendat: quod quandoque ad furtum, quandoque ad rapinam revocatur, prout damnum fuerit vel occultè vel manifestè illatum. Quartò qui non restituit id quod debet, etiam in hoc præceptum peccat: & tantundem est, ac si furtum committeret, quia rem alienam detinet invito Domino.



no. Quintò peccat in hoc præceptum & furtum committit, qui rem ab aliquo perditam inveniens, sibi servat. Dico, ab aliquo perditam: quia peccatum non est ea sibi servare quæ nullius fuerunt, ut sunt gemmæ, quæ subinde in littore maris repertiuntur. Sextò, ad furtum etiam ac rapinam reducitur, si quis quidpiam communibus usibus inserviens vindicet propriis: quia talis socios suos illius usu destituit, quod etiam erat illorum.

*D.* Scire desidero, num furtum sit grande peccatum.

*M.* Omnia peccata mortalia grandia vocari possunt, cum privent hominem vitam æternam. Sed furtum hoc habet proprium, quod in maxima mala furem inducat. Sic videmus proditorem illum Judam ex consuetudine furandi ea quæ in communem usum Christi & Apostolorum collata erant, eò tandem devenisse, ut sanctissimum suum Magistrum venderet. Videmus etiam in dies homines à latronibus mactati, tametsi nunquam eos viderint, nullum in eos odium aut inimicitiam conceperint: ex solo desiderio obtinendi exiguum illud quod penes se habent. Deus autem non permittit, ut is qui alteri sua abstulerit, eorum usu diu fruatur: quod in Juda videre est, qui laqueo se suspendit, & in plerisq.



plerisque latronibus, qui tandem in iustitiæ ac carnificum manus cadunt.

*Explicatio octavi Præcepti.*

*D.* Quid octavo præcepto continetur?

*M.* Postquam de injuriis ipso facto proximo illatis tractatum est, sequuntur nunc illæ quæ proximo verbis inferuntur. Ideoque octavum præceptum falsum testimonium prohibet, quæ una ex præcipuis injuriis est, quæ proximo irrogari queunt.

*D.* Dic amabo, an præcepto huic repugnet, si quis absque alterius detrimento falsum loquatur?

*M.* Tribus modis solet falsum dici. Primò sic ut damnum proximo inferatur: ut si quis coram Judice de aliquo testetur quod furtum fecerit, vel occiderit aliquem, sciens nihilominus falsum esse: & hoc mendacium perniciosum vocatur. Secundò, sic ut in commodum proximi hoc faciat: v.g. ideo ut proximum à periculo aliquo liberet: & hoc vocari solet mendacium officiosum. Tertiò, sic ut neque noceat proximo, neque commodet: & hoc mendacium otiosum est. Primus modus propriissime prohibitus est in hoc præcepto: quia testimonium illud non modò falsum est, sed etiam injustum, & peccatum gravissimum. Reliqui duo modi licet inju-



injustitiam non contineant, nec adeo gravia peccata sint, sunt tamen ad minimum peccata venialia: quapropter mendacium dicere, ne quidem pro re summi momenti licet.

*Aug. l.  
contra  
Mend.*

**D.** Anne præceptum hoc alterius rei, quam mendacii prohibitionem continet?

**M.** Hoc præceptum tria insuper peccata prohibet, quæ lingua committuntur, & ad falsum testimonium aliquo modo reduci possunt: scilicet, contumeliam, detractionem, & maledictionem.

**D.** Quid est contumelia?

**M.** Contumelia est verbum injuriosum, in contemptum proximi prolatum: ut cum quis alteri exprobrat, quod indoctus sit, contracti cerebri, vilis, infamis, &c. Quod grave peccatum esse, præsertim quando fit animo injuriandi proximum, ostendit Christus in Evangelio dicens. Qui dixerit fratri suo, fatuus eris gehennæ ignis. Dixi, quando fit animo injuriandi proximum. si enim soci gratiâ, aut ut proximus admonetur vel corrigatur fiant, quemadmodum pater cum filiis agere solet, & præceptor cum discipulis, non verò ut contemnatur, vel injuria notetur, certè non vocabitur contumelia, neque peccatum erit, nisi fortè veniale.

*Matt. 5.  
22.*

**D.** Quid est detractio?

**M. Deo**



*M.* Detractio est famæ proximi denigratio, loquendo malè de illo : quod fit, aut mala dicendo de proximo, quæ falsa sint ; aut vera quidem, sed occulta & ignota: sic enim famæ suæ jacturam facit quam apud culpæ suæ inscios obtinebat. Quæ detractio uti malum est admodum frequens inter homines, ita quoque periculosum est ac grave: nam famæ majoris est pretii quàm divitiarum: imò à quibusdam ipsi vitæ anteponitur. Quare grave malum est famam alterius denigrare : præterquam quod aliis malis facile remedium adhiberi possit, sed famæ deperditæ admodum difficulter : & tamen is qui eam alteri abstulit ad illius restitutionem obligatur. Consilium igitur optimum est bene semper de omnibus loqui, quando id cum veritate fieri potest, sin minus, silere:

*D.* Quid est maledictio ?

*M.* Maledictio est, quando quis maledicit proximo suo, dicens: Esto maledictus, aut aliis modis maledicendi utitur v. g. imprecando ut hoc vel illud malum ei eveniat. Et hæc maledictio gravissimum peccatum est, quando ex odio fit, & cum desiderio ac intentione, ut ejusmodi malum revera proximum comprehendat. At verò, si sine odio, & sine ejusmodi mala intentione;

sed



sed ex joco tantum levitate, aut præcipiti ira inconsideratè proficiscatur, minus peccatum est. Semper tamen est malum, quia ex ore Christiani, qui per adoptionem est filius Dei, non alia quam benedictionis verba debent prodire.

*Explicatio noni Præcepti.*

*D.* Quid nono præcepto continetur?

*M.* Prohibitio concupiscentiæ uxoris proximi. Tametsi enim in sexto præcepto adulterium prohibitum sit, voluit nihilominus Deus etiam desiderium seu concupiscentiam adulterii peculiariter prohibere, ut ostenderet hæc duo diversa esse peccata.

*D.* Videtur in hoc præcepto prohibitum non esse desiderium adulterii quod uxor cum alterius marito committit, sed solum desiderium adulterii quod vir committit cum alterius uxore: quia dicit: Non concupisces uxorem proximi tui.

*M.* Non est ita, nam desiderium adulterii perinde mulieri ac viro prohibetur. Licet enim dicatur, Non concupisces uxorem proximi tui: tamen quod viro dicitur, etiam fœminæ dictum intelligitur; quia sub viro tanquam nobiliore comprehenditur & fœmina. Ad hæc omnibus notum est adulterium fœminæ saltem apud mundum



dum, infamius esse quam viri: sicut etiam honestas ac verecundia in foemina magis, quam in viro laudatur. Itaque si prohibitum est viro alterius uxorem concupiscere, haud dubie prohibitum etiam est foeminae appetere alterius maritum.

*D.* Memini te supra dixisse, quod ubi prohibitum est adulterium, ibidem & alia peccata carnalia prohibita sint: velim scire, an hoc ipsum etiam de desiderio accipiendum sit.

*M.* Non est dubium quia ubi prohibetur desiderium adulterii, intelligitur etiam prohiberi desiderium fornicationis, & aliarum omnis generis libidinum; quia horum omnium peccatorum eadem est ratio.

*D.* Dic amabo, num omnia desideria uxoris alienae peccata sint, etsi consensus voluntatis non accedat.

*D. Greg.  
in Resp.  
ad qq.  
Aug. c.  
vlt.*

*M.* D. Gregorius Papa docuit, in eiusmodi desiderio malo tres gradus esse. Primus vocatur Suggestio. 2. Delectatio. 3. Consensus. Suggestio est quando diabolus animo immittit cogitationem turpem, cui se initium quoddam subiti desiderii adjungit: huic suggestioni si illico resistatur, adeo ut nulla accedat delectatio, non peccat homo sed meritum auget apud Deum. Si vero ad suggestionem carnalis delectatio acce-



accedat, nec tamen in eam ratio vel voluntas consentiat, non est homo sine peccato veniali. Si denique cum cogitatione ac delectatione consensus rationis ac voluntatis se jungat, adeo ut homo advertat quid cogitet ac desideret: & tamen voluntariè ejusmodi desiderio inhæreat, committit peccatum mortale. Et hoc est, quod præcipuè in isto præcepto prohibetur.

*Explicatio decimi Præcepti.*

**D.** Quid continetur decimo præcepto?

**M.** Continetur prohibitio concupiscentiæ bonorum alterius, tam immobilium, ut sunt domus, agri, quàm mobilium, ut sunt pecuniæ, animalia, fructus & similia. Et hoc modo perfecta servatur justitia, quando nec opere, nec verbo, nec cogitatione aut desiderio ulla injuria proximo irrogatur.

**D.** Miror cur postquam Deus homicidium, adulterium, & furtum prohibuit, non prohibeat quoque desiderium homicidii, sicut adulterii & furti desideria prohibuit.

**M.** Hujus rei ratio est, quia homo id tantum præcipuè desiderat, unde commodum aliquod saltem apparet illi proveniat. Ideo enim adulterari desiderat, quia delectationem affert: & furtum



furtum, quia utilitatem parit: homicidium verò nullum bonum habet conjunctum, ideoque propter se non expeditur, sed tantummodò ut per illud ad adulterium, furtum, vel quid simile perveniri possit. Quamobrem tamen desiderium occidendi peccatum sit gravissimum, Deus tamen illud peculiariter prohibendum non censuit, quia cum ipsum homicidium prohibitum sit, satis colligere est, etiam desiderium homicidii prohibitum esse. Deinde cum Deus inordinatis desideriis delectationum venerearum, ac furti aditum occluserit, consequenter etiam desiderium homicidii exclusit, utpote quod ordinariè non appetitur nisi ad delectationem aliquam vel utilitatem assequendam.

*D.* Scire velim, quare non eodem modo in humanis legibus atque in divinis desideria prohibeantur,

*M.* Ratio manifesta est, quia homines, etiam si Pontifices aut Caesares sint, corda tamen inspicere non possunt, sed exteriorem tantum speciem contueri: quare cum cogitationes ac desideria dijudicare nequeant, non possunt ea etiam punire: adeoque æquum non est ut ea prohibere attentent. At verò Deus, qui omnium hominum corda discernit, potest utique malas cogitationes ac desideria punire,

&amp;



& propterea etiam ea voluit in Decalogo prohibere.

## CAPUT VII.

*Explicatio Præceptorum Ecclesiæ.*

D. **A** Nne præter Decalogum alia præcepta observanda sunt ?

M. Imò verò : nimirum præcepta Ecclesiæ; & sunt hæc,

1. Diebus Dominicis & Festis de præcepto, Missæ interesse.

2. In Quadragesima, Quatuor temporibus ac Vigiliis præceptis jejunare : ac diebus Veneris & Sabbati ab eiu carni um abstinere.

3. Ad minimum semel in año confiteri

4. Semel in anno, idque circa tempus Paschæ S. Eucharistiam sumere.

5. Decimas Ecclesiæ solvere.

6. A nuptiis celebrandis abstinere temporibus vetitis : videlicet à prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam ; & à primo die Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis.

Porro de his præceptis nihil peculiare dicturus sum, tum quia facilia sunt, tum etiam quia de Missa, Confessione & Communione, ac jejunio in explicatione Sacramentorum acturi sumus.

## CAPUT VIII.

*Explicatio Consiliorum Evangelicorum*

D. **V**Elim edisseras, utrum præter præcepta Domini, sint etiam

F

Con;



Consilia aliqua Evangelica, ad perfectius vivendum accommodata.

*M.* Multa extant consilia sanctissima & utilissima, quorum beneficio præcepta perfectius observari queant: Sed tria sunt præcipua: Paupertas voluntaria, castitas & obedientia.

*D.* In quo consistit Consilium Paupertatis?

*Mat. 19.*

21.

*Act. 4*

§ 2.

*M.* In eo quod quis nullam rem propriam habeat, postquam jam ante aut omnia bona sua in pauperes distribuit, aut certè in commune contulit, quod tantundem est ac si ea pauperibus distribuisset. Et hoc consilium Christus non modò verbis docuit, sed etiam exemplo præivit. Id ipsum Apostoli imitati sunt, uti etiam primi omnes Christiani Hierosolymis tempore primitivæ Ecclesiæ habitantes. Denique omnes Religiosi ad hujus consilii observationem voto se astringunt.

*D.* In quo situm est consiliū Castitatis?

*Matth.*

19. 27.

*M.* In eo quod quis perpetuò castus esse velit, non solum ab omni genere peccati carnalis, sed & à matrimonio abstinendo. Quod consilium etiam Christus verbo docuit & exemplo, quem D. Virgo, S. Joannes Baptista, omnesque Apostoli, postquam ad Apostolatam ab illo vocati tuere, secuti sunt: uti etiam omnes Religiosi & sacris



sacris Ordinibus initiati particulare votum castitatis edunt.

**D.** In quo consistit Consilium Obedientiae?

**M.** In eo quod quis proprio iudicio renuntiet, ac propriae voluntati quod in Sancto Evangelio seipsum abnegare vocatur, & in omnibus quae Deo non repugnant, Superiori subiectus sit. Hoc consilium Salvator mundi docuit, non solum verbo, sed etiam exemplo, cum aeterno Patri in omnibus obedivit; item matri suae adhuc puer, & Josepho patri suo, non vero, cum ex Virgine natus sit Christus; sed putatio, quia matris eius sponsus erat. Et hoc est tertium consilium ad quod Religiosi omnes voto se astringunt.

*Luc. 2.*

*51.*

**D.** Quare tria dumtaxat consilia principalia sunt, & nec plura nec pauciora?

**M.** Quia consilia illa principalia ad hoc serviunt ut perfectionis, quae in charitate sita est, impedimenta tollant: haec autem impedimenta sunt tria, videlicet amor bonorum temporalium, qui per paupertatem tollitur; amor voluptatum carnalium, qui per castitatem; & amor honoris ac potestatis, qui tollitur per obedientiam. Praeterea cum homo tria tantum bonorum genera habeat, scilicet bona animi, bona corporis, & bona externa,



tradendo Deo bona externa per paupertatem, bona corporis per castitatem, & bona animi per obedientiam, quicquid habet Deo sacrificat, & meliore modo qui in hac vita possibilis est, ad perfectionem charitatis assequendam se disponit.

## C A P U T I X.

*Explicatio Sacramentorum Ecclesie.*

**D.** Cognitis jam satis, aspirante Dei gratia tribus principalioribus doctrinae Christianae partibus, restat ut quartum explices, quae, si bene memini, de 7. Ecclesiae Sacramentis est.

*Trid.  
praf. ses.  
7.*

**M.** Quarta haec pars doctrinae Christianae utilissima est, ideoque necessarium ut eandem diligenter ediscas. Itaque scire te oportet magnum thesaurum in Ecclesia esse, septem scilicet Sacramenta, per quae gratiam Dei impetramus, conservamus, augemus, & si eam nostra culpa perdiderimus, recuperamus. Quare declarare proposui, quid Sacramentum sit: quot sint numero: à quo instituta, & id genus alia: denique quodlibet Sacramentum in particulari explicabo.

**D.** Incipe explicare quid Sacramentum sit: id enim scire vehementer opto.

**M.** Sacramentum est sacrum quoddam mysterium, quo Deus nobis gratiam confert; & simul effectum invisibilem



bilem quem gratia in anima nostra operatur, exterius repræsentat. Si enim incorporei spiritus essemus, ut sunt Angeli, spirituali modo gratiam suam nobis conferret Deus: nunc verò cum ex anima & corpore compositi simus, naturæ nostræ se attemperans, gratiam per actiones quasdam corporales nobis confert, quæ unâ per exteriorem quandam similitudinem ut dictum est, interiorum effectum gratiæ nobis declarant Verbi gratia; in Baptismo, qui unum est ex septem Sacramentis, corpus aqua abluitur; simulque SS. Trinitas invocatur, & per cæremoniam illam ablu-tionis confert Deus gratiam, & animæ baptizati infundit; significatque quòd quemadmodum aqua lavat corpus, sic etiam gratia lavet animam, & ab omni peccato expurget.

*D* Si rectè intellexi, ut res aliqua Sacramentum sit, triplex conditio requiritur: primò cæremonia aliqua sive actio externa. 2. ut per illam Deus conferat gratiam. 3. ut illa cæremonia seu actio similitudinem habeat cum effectu gratiæ, & sic eum exterius repræsentet atque significet.

*M.* Optimè hoc intellexisti; sed ulterius scire debes, quod hæc Sacramenta universim sint septem numero, videlicet: Baptismus, Confirmatio vel

*Chryf.*  
*hom. 38*  
*in Matt.*

*Trid.*  
*sess. 7.*  
*can. 2.*



Chrisma, Eucharistia, Pœnitentia, Extre-  
ma unctio, Ordo, Matrimonium.  
Ratio verò quare septem sint, est hæc:  
Quia Deo eo modo procedere voluit  
in danda vita spirituali, quo solet in  
corporali: quantum autem ad corpora-  
lem vitam spectat primò necessarium  
est nasci. 2. crescere. 3. nutrir. 4. Si quo  
morbo vitietur homo, medicinam ac-  
cipere. 5. Si forte pugnandum est, arma-  
ri. 6. Necessarium est esse aliquem qui  
natos & augmentatos regat ac gubernet  
7. Ut sint qui ad multiplicationem  
humani generis incumbant: nisi enim  
de mortuis alii nascendo succederent,  
humanum genus brevi interiret.

Sic quoque quod ad spirituales vi-  
tam attinet, primò necesse est nasci in  
nobis gratiam Dei, quod per Baptis-  
mum fit. 2. Ut illa gratia crescat &  
roboretur, quod fit per Confirmatio-  
nem. 3. Ut nutriatur ac sustentetur,  
quod SS. Eucharistia præstat. 4. Ut si  
quando perdita fuerit recuperetur,  
quod medicina Pœnitentiæ efficit. 5.  
Ut in articulo mortis contra hostem in-  
fernalem armemur, qui magis illo tem-  
pore, quàm quovis alio nos infestat,  
quod per Extremam unctionem fit.  
6. Ut quis sit in Ecclesia qui nos in vita  
illa spirituali regat ac gubernet, quod  
Ordinis est, 7. Ut sint in Ecclesia qui  
mul-



multiplicationi humani generis sanctè intendant, quò sic fidelium numerus augeatur, quod fit per Sacramentum Matrimonii.

D. Quis quæso res adeo mirandas invenit ac instituit?

M. Sacramenta hæc adeo admiranda à sola divina Sapientia adinveniri, & à solo Deo, qui etiam solus gratiam dare potest, institui potuerunt. Ideoque Christus Dominus, qui simul Deus & homo est, illorum inventor est & institutor. Præterea omnia Sacramenta sunt veluti quidam canales per quos derivatur in nos virtus Passionis Christi: certum autem est neminem posse thesaurum Passionis Christi alio modo vel per alia media dispensare, quàm per ea quæ Christus instituit.

D. Scire desidero, an tempore legis veteris aliqua Sacramenta fuerint, & an adeo præstantia ac nostra.

M. In veteri Testamento Sacramenta multa fuerunt; sed in quatuor à nostris discrepabant. Primo erant plura numero, ideoque lex vetus difficilior erat lege nova. 2. Erant illa nostris observatu difficiliora. 3. Erant obscuriora: ideoque pauci quid significarent, intelligebant: at nostra adeo clara sunt, ut quilibet ea capere possit. 4. Illa non conferebant gra-

*Trid.  
sess. 7.  
can. 10*

*Trid. sess.  
7. can. 10  
Aug. ep.  
116.*



tiam, uti nostra conferunt, sed solam illam præfigurabant & promittebant. Quare Sacramenta nostra multò excellentiora sunt utpote pauciora, facilliora, clariora & efficaciora.

*D.* Dic ulterius quodnam inter hæc septem Sacramenta sit præstantissimū.

*M.* Omnia præstantia sunt & magna & quodlibet excellentiam aliquam habet sibi propriam. Omnium maximum est SS. Eucharistia, quia continet auctorem gratiæ ac omnis boni, qui Christus Dominus noster est. Si tamen necessitatem spectes, Pœnitentia & Baptismus sunt omnium maximè necessaria. Si dignitatem eorum qui Sacramentorum ministri sunt, consideres, digniora sunt reliquis Confirmatio & Ordo, quia hæc ordinariè non nisi ab Episcopis conferri possunt. Si spectes facilitatem, facillima est Extrema unctio, quippe in qua peccata sine labore pœnitentiæ remittuntur. Si denique significationem urgeas maximum est Matrimonium, quòd unionem Christi cum Ecclesia significet.

*De Baptismo.*

*D.* Nunc ergo si ita placet ad explanationem primi Sacramenti progredere: & primò dic quate illud vocetur Baptismus.

*M.* Vox Baptismus Græca est, & tantum



tantum valet ac Latine, ablutio. Voluit autem Ecclesia hoc nomen Graecum retinere; quia verbum, ablutio nimis commune est, eiusque usus, etiam in rebus vilissimis. Quare ut hoc Sacramentum proprium suum nomen haberet, & per illud melius cognosceretur; & magis honoraretur, vocatum est Baptismus.

**D.** Quænam requiruntur ad conferendum Baptismum.

**M.** Requiritur ad minimum tria; bene tibi ediscenda: quia uti postea dicemus, in cæcis casibus quilibet baptizare potest: unde necessarium est quemlibet scire quomodo id faciendum sit. Primum requiritur aqua vera & naturalis, quâ baptizandus perfundatur. 2. requiritur ut eo tempore quo is aqua tingitur, hæc verba pronuntientur. Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. 3. ut baptizans intentionem habeat verè, baptizandi, id est, conferendi hoc Sacramentum quod Christus instituit, & quod S. Ecclesia quando baptizat conferre solet. Unde si quis intentionem jocandi tantum habeat, aut aliquas dumtaxat corporis sordes abluendi, gravissimum peccatum admitteret, & infelix illa personam revera Sacramentum Baptismi non acciperet.

**D.** Quos effectus operatur Baptismus?

**R.**

**M.** Tres



*M.* Tres sequentes : primus est , quod perfecte renouet hominem , conferendo illi gratiam Dei , per quam ex filio diaboli in filium Dei , & ex peccatore in iustum transit , Neque solum animam ab omni macula culpæ expurgat , sed eandem etiam à pœna inferni ac purgatorii liberat : adeo ut si quis statim à suscepto Baptismo moriatur , illico ad cœlos ascendat , non secus ac si nunquam peccato obnoxius fuisset . Secundus est , quòd certum quoddam spirituale signum seu characterem in anima relinquat , qui nunquam deleri potest , & per quem semper cognoscitur fuisse baptizatus , & de numero ovium Christi , etiam is qui ad inferni pœnas damnatus est : sicut in hoc mundo ex stigmate seu cauterio noscunt homines , cuiusnam sint quælibet mancipia , vel animalia . Quæ etiam causa est , quare Baptismus iterari non possit : quia nunquam deperditur , cum effectus ipsius semper animæ impressus remaneat . Tertius est , quod homo per Baptismum Ecclesiam ingrediatur , omniumque eius bonorum tanquam verus illius filius particeps fiat , faciatque professionem quod Christianus esse velit , usque omnibus obedire , qui Christi vice Ecclesiam gubernant .

D. Ad



**D.** Ad quem propriè spectat Bapti-  
smum conferte ?

**M.** Hoc spectat ad Sacerdotem ex officio, & præsertim ad illum cui cura animarum incumbit. At si Sacerdos præsens non sit, ad Diaconum pertinet: & in casu necessitatis, quando subest periculum ne infans sine Baptismo decedat, cuiuslibet incumbit, ut Sacerdoti sic laico, ut viro, sic foeminae. In quo tamen semper hic ordo servandus est, ut non baptizet foemina, si vir adsit: nec laicus, si adsit Ecclesiasticus: & ex Ecclesiasticis, ille baptizet qui gradu superior est.

**D.** Miror Baptismum infantibus primum natis conferti, utpotè qui nesciunt quid accipiant.

**M.** Tanta est Baptismi necessitas, ut si quis sine illo, aut saltem eius voto vel desiderio moriatur, cælum intrare nullo modo possit. Quia ergo infantes facillimè mori possunt, & solent, neque capaces sunt ut Baptismum desiderent, ideo necesse est alios quam totius baptizari. Et quamvis non cognoscant id quod recipiunt, hoc tamen supplet Ecclesia, quæ medianubus com-  
patre & comatre respondet, spondetque pro illis, quod sufficit. Quemadmodum enim per Adamum in peccatum prolapsi sumus, Deique gratia



excidimus, tametsi id nesciremus : sic quoque Deo placuit ut mediante Baptismo & Ecclesia à peccato liberemur & in ejus gratiam, etiam minime id intelligentes, restituamur.

*D.* Quid per compatrem & commatrem intelligis, quorum jamjam fecisti mentionem, & quod est eorum officiū?

*M.* In collatione Baptismi, ex veteri laudatæque Ecclesiæ consuetudine semper assistit vir, qui Compater vocatur, id est, alter pater, & mulier, quæ vocatur Commater, hoc est, altera mater : & illi duo, sive alter illorum tenent infantulum baptizandum, respondentque pro illo, dum Sacerdos sciscitatur ex infantulo, num baptizari velit, num credat articulos fidei, & similia. Postmodum verò ubi jam infans adoleverit, compater & commater tenentur curam illius gerere, fideique præcipua capita, & bonos mores docere, si in eo parentes ejus fuerint negligentes. Præterea observandum etiam est, quod in Baptismo compater & commater uti & ille qui baptizat, cum baptizato ejusque patre ac matre spirituales cognationem contrahant.

*De Confirmatione.*

*D.* Satis de Baptismo egimus : dic nunc quid sit Confirmatio, quod est secundum Sacramentum.

*M. Sec*



*M.* Secundum Sacramentum Confirmationis vocatur, quia effectus illius est hominem confirmare in fide, ut paulo post dicemus. Vocatur etiam Chrisma, quod Græcum nomen est, & unctionem significat: quia in hoc Sacramento frons inungitur. Nam sicut in Baptismo, baptizandus aqua abluitur, ad significandum quod in eo Dei gratia animam a peccati maculis abluat: sic in Confirmatione frons inungitur, ut significetur Dei gratiam in hoc Sacramento animam quoque inungere. hucusque unctionis virtute illam confirmare, ut bellum cum dæmone gerere fidemque Christianam audacter, citra ullum tormentorum aut mortis metum profiteri possit.

*D.* Quo tempore recipiendum est hoc Sacramentum?

*M.* Quando ad usum rationis homo pervenit: tunc enim fidem profiteri incipit, & ut confirmetur ac stabilietur in gratia Dei, opus habet.

*D.* Aliudne aliquid hoc Sacramentum in anima operatur, præterquam quod suscipientem roborat?

*M.* Relinquit etiam fixum impresumque in anima signum seu characterem qui in æternum eradi nequit: ideoque non nisi semel recipi hoc Sacramentum potest.



D. Quid opus est alio signo impresso in anima? an non sufficit character Baptismi?

M. Non sine causa imprimitur secundum hoc signum: quia per primum solum cognoscitur homo Christianus esse, & de Christi familia: at verò per secundum hoc signum miles Christi esse cognoscitur: quodque ideo signum Imperatoris sui in anima portet, quemadmodum milites in vestibus solent. Et hi qui suscepto hoc Sacramento, ad inferos descendunt, maxime confundentur, eò quòd quilibet visurus sit tales professione ac Sacramento milites Christi fuisse, & postea perduelles factos tam foedè rebellasse.

*De sanctissima Eucharistia.*

D. Explica nunc tertium Sacramentum. Et primum dic mihi, quid significet Eucharistia.

M. Eucharistia vox Græca est, & significat gratam memoriam, aut gratiarum actionem: quia in illo mysterio memoria fit, & gratiarum actio de excellentissimo beneficio sanctissimæ Passionis Salvatoris nostri, & simul verum Corpus & Sanguis Domini nobis datur, pro quo perpetuas Deo gratias agere obligamur.

D. Explica mihi plenius, quid in hoc sanctissimo Sacramento contineatur:



ut cognita ejus excellentia tanto magis  
id venerari possim.

*M.* Hostia quam in Altari vides ,  
ante consecrationem nihil est aliud  
quàm modica panis particula , ex lub-  
tili materia in rotunditatem formata.  
Sed quamprimùm Sacerdos consecra-  
tionis verba protulit , in hostia verum  
Corpus Christi invenitur. Et quia  
Corpus Christi vivum est, & Divini-  
tati in Persona Filii Dei unitum; ideo  
simul in corpore sanguis , anima , &  
ipsa Divinitas invenitur, adeoque totus  
Christus Deus & homo in ea existit,  
Pari modo in calice ante consecratio-  
nem nihil aliud est , quam paululum  
vini, modicâ aquâ permixtum: at verò  
factâ consecratione, invenitur in calice  
verus Sanguis Christi. Et quia hic San-  
guis extra corpus non est, ideo simul in  
calice cum sanguine est corpus & ani-  
ma, ipsaque Christi Divinitas , & sic  
totus Christus Deus & homo similiter  
in ea reperitur.

*D.* Video tamen hostiam post conse-  
crationem speciem panis retinere , uti  
prius, & quod in calice est, speciẽ vini.

*M.* Ita est : remanet enim in ho-  
stia figura , color , & sapor panis , ut  
prius: sed nequaquam ibi est ipsius pa-  
nis substantia quæ erat prius: ideoque  
sub specie panis, panis non est , sed  
verum



verum Corpus Christi. Illustrabo rem similitudine, ut eam intelligas. Audisti haud dubie uxorem Loth in statuani salis conversam esse: quisquis hanc statuam intuebatur, speciem, figuramque uxoris Loth videbat, quæ tamen uxor Loth amplius non erat, sed sal sub specie mulieris. Quemadmodum ergo in hac conversione, substantia intrinsecus mutata fuit, & species mulieris extrinsecus servata; sic quoque in hoc mysterio accidit. Mutatur enim interior substantia panis in corpus Christi; & simul exterior panis species eadem permanet quæ ante fuit. Idem de calice intelligendum est, scilicet figuram, saporem & odorem vini adesse, non tamen vini substantiam, sed sub vini specie, sanguinem Christi.

D. Res magna videtur, & admiranda quod magnum corpus, quale est corpus Christi, sub exigua specie hostiæ, consecratae possit consistere.

M. Res magna est, fateor: sed major est Dei potentia, quæ utique majora potest præstare quam nos possimus intelligere. Unde Christus quando in Evangelio affirmat Deum efficere posse, ut camelus, quod est animal majus equo, per foramen acus transeat, adjungit: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omniaabilia sunt.

Mat. 19.  
26.

D. Ex-



**D.** Explica precor aliquo exemplo ;  
quo modò possibile sit Christi corpus  
in tot hostiis esse, quot in adeo diversis  
per totũ mundũ Altaribus reperiuntur.

**M.** Non est necessarium ut mira Dei  
opera intelligamus, sed sufficit illa cre-  
dere: quandoquidem certi sumus quod  
Deus nos decipere non possit. Nihilom-  
minus exemplum ad tuam consolatio-  
nem producam. Anima nostra indubiè  
unica est, quæ tamen tota est in omni-  
bus membris corporis, tota in capite ;  
tota in pedibus, & tota etiam in quavis  
minima corporis parte. Quid ergo mi-  
rum est Deum facere posse ut corpus  
Filii sui in multis hostiis existat, quan-  
do per eandem ejus potentiam una ea-  
demque anima, tota & indivisa, in tam  
diversis longeque distitis à se mutuo  
corporis membris esse potest. Legitur  
in vita S. Antonii de Padua, illum cum  
aliquando in quadam civitate Italiae  
concionaretur, simul in Portugallia per  
Dei potentiam fuisse, ut aliquod bo-  
num opus ibi perageret. Si ergo Deus  
potuit efficere ut S. Antonius in pro-  
pria sua forma simul esset in tam disti-  
tis locis, quate non posset efficere ut  
Christus simul sit in multis hostiis.

**D.** Dic mihi si placet, an Christus  
descendat de cœlo quando venit in ho-  
stiam, an vero nihilominus etiam in  
cœlo remaneat. **M.**



*M.* Quando Christus in Sac. Hostia esse incipit, non descendit de cœlo, sed per divinam potentiam simul in cœlo & in hostia existit. Sume exemplum ab anima humana. Infans paucorum dierum minimus est, ut scis, & vix unius palmi mensuram excedens: postea excrescit, & duos palmos excedit. Nunc peto utrum anima quæ prius in uno palmo residebat, illum deseruerit, ut ad secundum palmum pervenerit, an non. Certum est quod illum non deseruerit, neque ad secundum se extenderit, cum sit indivisibilis. Igitur retinendo primum palmum acquisivit secundum. Sic etiam Christus non relinquit cœlum, ut ad hostiam veniat: nec unam hostiam deserit, ut in alia esse possit; sed simul invenitur in cœlo & in omnibus illis hostiis.

*D.* Jam satis intellexi quid in SS. hoc Sacramento contineatur: nunc scire desidero, quid ad dignam ejus sumptionem requiratur.

*M.* Requiritur tria. Primum est, ut suscipiens confessus sit, & in gratia Dei esse studeat, quando ad hujus Sacramenti susceptionem se parat. Quia inter cæteras causas, quare hoc Sacramentum detur sub specie panis, una est: ut intelligamus illud non mortuis dari, sed viventibus, ad gratiam  
Dei



Dei in homine nutriendam, augendamque. Secundum est, ut omnino sobrii simus: videlicet ut à medio noctis ab omni cibo & potu, etiam aquæ modicæ abstinuerimus. Tertium est, ut intelligamus id quod agimus, & devotionem erga tantum Sacramentum habeamus. Propterea enim illud non datur pueris, nec usu rationis destitutis.

D. Quoties ad hujus Sacramenti perceptionem obligamur?

M. Ecclesia ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschæ ad hujus SS. Sacramenti susceptionem nos obligat: expedit tamen illud sæpius, juxta consilium Confessarii sumere.

D. Explicam mihi fructum, qui ex hoc Sacramento capitur: & finem propter quem est institutum.

M. Propter tres causas instituit Christus hoc Sacramentum. Prima est ut sit cibus animæ, Altera ut sit Sacrificium novæ legis. Tertia ut sit perpetuum memoriale, & sui erga nos amoris pignus charissimum.

D. Quem effectum operatur in quantum est cibus animæ?

M. Illum operatur effectum, quem cibus corporalis in corpore: quare etiam sub specie panis datur. Nam sicut panis conservat calorem naturalem, in quo vita corporis est sita, sic quo-

Capo  
Omnis  
utriusq;  
de pœn.  
& remo



quoque SS. hoc Sacramentum, quando dignè recipitur, conservat augetque charitatem, in qua consistit sanitas & vita animæ.

D. Quem effectum operatur in quantum est Sacrificium?

*Chryf.  
in Ps. 95  
Aug. l. 9  
advers.  
leg. c. 20*

M. Mundum Deo reconciliat, multaque beneficia, non pro vivo tantum, sed etiam pro defunctis in Purgatorio degentibus obtinet. In veteri Testamento offerebantur Deo varia sacrificia animalium, in quorum locum in novo Testamento successit Sacrificium Missæ, in quo, per manus Sacerdotum offertur Deo Sacrificium acceptissimum Corporis & Sanguinis Filii sui, qui per omnia illa veteris legis Sacrificia præfigurabatur.

D. Quem effectum operatur, quatenus memoriale est ac pignus divini erga nos amoris?

*Exodi  
16. 33:*

M. Reddit nos memores tanti beneficii, & ad redamandum tantopere nos amantem accendit. Et ideo quemadmodum in veteri Testamento voluit Deus, ut Hebræi non solum manducarent manna, quod eis de cælo pluerat, sed etiam ut illud in vase aliquo conservarent ad perpetuam omnium beneficiorum memoriam, quæ ab eo in educatione ex Ægypto acceperant. Sic etiam voluit Christus, ut Sacra



eramentum hoc sanctissimum non solum à nobis sumatur, sed etiam ut asseretur in Altari, & interdum in Processionibus circumferatur, ut quoties illud aspexerimus, infiniti ejus erga nos amoris recordemur.

At verò in particulari loquendo, Missa est universale quoddam compendium totius vitæ Christi, ne illa nobis unquam è memoria elabatur.

*D.* Scire avelo, quomodo Missa compendium sit totius vitæ Christi, sic enim majori cum devotione & attentione illi assistam.

*M.* Dicam brevissimè. Introitus Missæ significat desiderium S. Patrum de adventu Christi. Kyrie eleyson significat voces eorundem Patriarcharum & Prophetarum, adventum Messiaë tamdiu desideratum à Deo perentium. Gloria in Excelsis, significat Nativitatem Christi. Oratio verò seu collecta proximè subsequens, significat præsentationem & oblationem ejus in templo. Epistola ad sinistrum cornu Altaris dici solita, prædicationem S. Joannis Baptistæ, invitantis homines ad Christum. Graduale, conversionem significat quorundam per prædicationem D. Joannis Evangelium in dextro cornu Altaris legi solitum, prædicationem Christi denotat, qua



quâ nos à sinistris ad dextram, hoc est, à temporalibus ad æterna, & à peccato ad gratiam traduxit, Ad illud etiam adferuntur luminaria, & thus, ut significetur S. Evangelium mundum illuminasse universum, illumque bono odore gloriæ Dei replevisse. Credo, conversionem Apostolorum, aliorumque Christi Discipulorum significat Secretæ orationes, quæ immediatè post Credo sequuntur, occultas machinationes Judæorum contra Christum significat. Præfatio quæ solet alta voce cantari, & finiri per O sanna in excelsis, significat solemnem ingressum Christi in Jerusalem ipso die Palmarum, Secreta illa quæ proximè excipiunt Præfationem, Passionem Domini repræsentant. Elevatio hostiæ docet quomodo Christus in Crucem sublatus sit. Pater noster, orationem ipsius in Cruce pendentis Hostiæ fractio, vulnerationem Christi per lanceam factam. Agnus Dei significat planctum S. Mulierum in depositione Christi de Cruce. Communio Sacerdotis, Christi sepulturam denotat. Cantus ille qui communionem magno cum gaudio sequitur, Resurrectionem Domini designat, Ite Missa est, Ascensionem. Benedictio Sacerdotis adventum Spiritus sancti refert, Evangelium quod in fine Missæ legitur, significat prædicationem.



cationem Apostolorum, quando repleti Spiritu sancto cœperunt prædicare Evangelium per totum mundum, atq; ita conversioni Gentiũ initiũ dederunt.

*De Pœnitentia.*

**D.** Sequitur quartum Sacramentum, quod vocatur Pœnitentia. Dic mihi quid Sacramentum hoc sit?

**M.** Pœnitentia tria significat: primò certam quandam virtutem, per quam homo dolet de peccatis suis & contrarium vitium, impœnitentia dicitur, cum de peccato dolere non vult. 2. Pœnitentia significat pœnam & afflictionem illam, quam homo in se suscipit, ut Deo pro peccatis suis faciat satis. Et sic dicimus illum magnam pœnitentiam facere, qui multis jejuniis & asperitatibus se exercet. 3. Pœnitentia significat Sacramentum à Christo institutum, per quod eorum peccata remittuntur, qui post Baptismum gratiam Dei perdiderunt, de iis tamen dolent, & ad gratiam redire desiderant.

**D.** In quonam hoc Sacramentum principaliter consistit?

**M.** In duobus, videlicet Confessione peccatoris, & absolutione Sacerdotis. Christus enim super peccata à suscepto Baptismo commissa iudices constituit Sacerdotes, vultque eos suo loco authoritatem ea remittendi habere, hac

*IOH. 20.*

*23.*



hac tamen conditione, ut peccator ritè dispositus illa confiteatur. Hoc ergo Sacramentum in eo consistit, quòd quemadmodum homo peccata sua exterius confitetur, & Sacerdos exterius absolutionem pronuntiat; sic quoque Deus mediantibus verbis Sacerdotis, animam à nodo peccati quo erat ligata, interius solvat, eique gratiam suam infundat, & à reatu pœnæ infernalis, cui erat obnoxia liberet.

*D.* Quænam requiruntur ut hoc Sacramentum debite recipiatur?

*M.* Tria, nimirum Contritio, Confessio, & Satisfactio, quæ sunt tres partes pœnitentiæ.

*D.* Quid significat Contritio?

*M.* Significat quòd durum peccatoris cor emolliatur, & veluti rumpatur præ dolore offensæ in Deum factæ. Verùm contritio specialiter duo complectitur, quorum neutrum sine altero sufficit: primum est, ut peccator de peccatis omnibus post Baptismum admisis revera doleat. Quare necesse est conscientiam suam, omnesq; actiones suas diligenter examinare, & dolere quod illas ad regulam divinæ legis non conformaverit. Alterum, ut firmum propositum faciat non peccandi de cætero.

*D.* Quid sibi vult Confessio?

*M.* Quod peccatori satis esse non debeat



debeat contritionem habere, sed insuper se debeat ad Sacerdotis pedes abjicere, sicut Magdalena se ad pedes Christi abjecit, & confiteri peccata sua veraciter, nihil addendo nec minuendo, nec mendacium aliquod immiscendo. Deinde cum simplicitate, neque se excusando neque culpam in alium rejiciendo, nec verba superflue multiplicando. Tertio cum integritate, omnia scilicet dicendo, nec prae pudore ullum omitendo: item numerum cujusque peccati & graves circumstantias, quantum quidem recordari poterit explicando. Denique cum verecundia ac humilitate: non perinde ac si historiam aliquam narraret peccata sua narrando, sed ea velut abominanda quaedam, & homine Christiano indigna facta recensendo, humiliterque indulgentiam eorum postulando.

*D.* Quid sibi vult Satisfactio?

*M.* Quod peccator accedere debeat cum animo poenitentiam faciendi, voluntarieque acceptandi poenam illam, quam Confessarius imposuerit, eamque quantocius adimplendi considerans magnam sibi gratiam à Deo fieri, quod aeternam Inferni poenam indulgeat, poenamque temporali contentus sit, multo utique quam peccata mereantur minore.

*D.* Dic quaeso quem fructum afferat hoc Sacramentum,

*G*

*M.* Qua-



*M.* Quatuor fructus maximos ex hoc Sacramento percipimus. Primus est ille de quo jam diximus, quod Deus peccata post Baptismum commissa nobis remittat, mutetque pœnam æternam in Inferno tolerandam, cum temporali in hac vita vel Purgatorio luenda. Alter est, quod bona opera à nobis in gratiæ statu facta, & per peccatum deperdita, mediante hoc Sacramento nobis restituantur. Tertius, quod absolvamur ab Excommunicatione, si fortè in eam inciderimus. Nam scire debes, Excommunicationem pœnam esse gravissimam, utpote quæ nos Orationibus Ecclesiæ privet, & Sacramentorum usu, & conversione fidelium, ac denique Ecclesiastica sepultura. Ab hac adeo formidabili pœna per Sacramentum Pœnitentiæ liberamur, vigore auctoritatis, quam Confessarii ab Episcopo aut Summo Pontifice accepere. Quamvis absolutionem illam ab Excommunicatione, etiam extra Sacramentum, & à Præfato etiam non Sacerdote habere possimus. Quartus & ultimus fructus est, quod per hoc Sacramentum capaces fiamus thesauri Indulgentiarum, quem frequenter Pontifices Summi dispensant.

*D.* Quid est Indulgentia?

*M.* Indulgentia est liberalitas quædam



dam, qua Deus, mediante Vicario suo, erga Fideles utitur, dum temporalem illis pœnam remittit, aut totam, aut ex parte, ad quam sive in hoc mundo, sive in Purgatorio tolerandam erant obligati.

**D.** Quid requiritur ut quis Indulgentiis gaudere possit?

**M.** Ut homo sit in statu gratiæ: quod si se peccato novit obnoxium, ut confiteatur: Item ut adimpleat omnia quæ Summus Pontifex in concessione Indulgentiarum requirit.

**D.** Quoties ad Sacramenti Pœnitentiæ receptionem obligamur?

**M.** Ecclesia cuilibet ad minimum semel in anno Confessionem præcipit. Sed & præterea toties necessarium est confiteri, quoties quis S. Eucharistiam sumere proponit qui conscientiam habet peccati mortalis. Similiter in mortis articulo, aut quando quis aliquid aggredditur, cui periculum mortis subest. Præter istas obligationes, bonum est frequenti Confessione conscientiam expurgare, præsertim quum illi qui raro confitentur maxima cum difficultate, id bene facere possint.

**D.** Unum superest quod rogem, quæ nimirum illa bona, Deoque grata opera sint, quibus satisfaciamus pro peccatis.

*Cap.  
Omnia  
utr. de  
pœn. et  
remiss.*



Tob. 12.  
8.

*M.* Omnia illa ad tria præcipua re-  
ducuntur, quæ sunt Oratio, jejunium,  
& eleëmofyna: sic enim Angelus Ra-  
phaël Tobiam docuit. Et ratio est,  
quia cum homo habeat animam, cor-  
pus, bonaque externa, oratione Deo of-  
fert bona animæ, jejunio bona corporis  
eleëmofyna verò bona externa. Orati-  
onis nomine etiam intelligitur, audire  
Missam, dicere septem Psalmos pœni-  
tenciales, Officium Defunctorum &  
similia. Per jejunium accipiuntur etiam  
omnes aliæ asperitates corporales, ut  
cilicia, disciplinæ, humi cubationes, pe-  
regrinationes & his similia. Per eleëm-  
ofynam denique quodlibet charitatis  
officium intelligitur, quod quis proxi-  
mo propter amorem Dei exhibet.

*D.* Quid ad jejunium benè institu-  
endum requiritur?

*M.* Tria, nimirum semel in die ci-  
bum sumere, idque circa meridiem, &  
quidem quo tardius eo melius: deniq;  
abstinere à carnibus: ac item ovis &  
lacticiniis in Quadragesima.

*D.* Estne melius his operibus pro se-  
ipso satisfacere, an verò indulgentia-  
rum se participem reddere?

*M.* Melius est operibus istis pro se  
satisfacere, quia per Indulgentiam sa-  
tisfacit quis solum pro obligatione  
pœnæ æternæ; at verò istis operibus &  
Deo



Deo satisfacit, & æternam simul vitam meretur. Sed omnium optimum est utrumque adhibere: hoc est, & quoad possibile fuerit pro seipso satisfacere, & nihilominus de Indulgentiis lucrando studere.

*De Extrema - unctiōe.*

**D.** Quid est Extrema unctio.

**M.** Extrema-unctio est Sacramentum, quod ad infirmorum usum Christus instituit. Dicitur unctio, quia in eo consistit ut oleo sancto ungetur infirmus, & certæ preces super eo dicantur. Quod autem unctio extrema dicatur, inde est, quod inter omnes unctiones in Sacramentis adhiberi solitas ultima sit. Nam prima in Baptismo fit, altera in Confirmatione, tertia in Sacerdotio, ultima denique in infirmitate. Potest etiam dici extrema, quia in extremo vitæ confertur.

**D.** Qui sunt hujus Sacramenti Effectus?

**M.** Tres: Primus est, peccata remittere quæ à susceptione aliorum Sacramentorum quandoque remanent: hoc est, ea quæ ignoravit, aut quorum memoriam non habuit: quæ si sciret ac meminisset, ex animo detestaretur ac confiteretur. Secundus est, recreare infirmum illoque tempore confortare, quo ab infirmitate opprimitur;



mitur, & dæmonum tentationibus infestatur, Tertius est sanitatem corporis restituere, si ita ad æternam infirmi salutem expediat. Et hi tres effectus in oleo denotantur cujus in hoc Sacramento usus est: oleum enim confortat, refrigerat & sanat.

*D.* Quo tempore suscipiendum est hoc Sacramentum ?

*M.* Multi hic graviter errant, dum nolunt hoc Sacramentum suscipere priusquam jam cum morte luctentur; cū tamen verum tempus illud suscipiendi sit, quando medici judicant infirmitatē periculosam esse, nec humana remedia, quæ ad manum sunt sufficientia: tunc enim ad divina recurrendum est. Unde frequenter accidit ut infirmus Olei S. beneficio consanescat. Quare etiam non debet hoc Sacramentum peti, si mortis periculum non appareat: multò autem minus tamdiu debet expectari, quoad omnis spes convalescentiæ evanescat. Et hæc est ratio quare Oleum sanctum non detur iis qui per sententiam Judicis ad mortem damnati sunt: tum quia non ægrotant, tum quia nullam longioris vitæ spem habent.

*De Sacramento Ordinis.*

*D.* Quid est Sacramentum Ordinis ?

*M.* Est Sacramentum quo potestas confertur consecrandi SS, Eucharistiam



stiam, & reliqua Sacramenta populo administrandi, aut saltem ex officio iis ministrandi, qui ejusmodi potestatem receperunt. Vocatur Ordo, quia in hoc Sacramento multi sunt gradus, aliter alteri subordinatus, ut Ordo Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum & aliorum, qui his sunt inferiores. Sed nihil opus est nos hæc fusius explicare, quia hoc Sacramentum non est omnium, sed illorum tantum, qui maturæ ætatis sint, tantæque eruditionis, ut in Christiana doctrina ulterius instrui non debeant, sed ad illos potius spectat alios in his ipsis erudire.

*De Sacramento Matrimonii.*

**D.** Quid est Sacramentum Matrimonii

**M.** Sacramentum Matrimonii, est conjunctio maris & feminae, conjunctionem Christi cum Ecclesia in Incarnatione, & Dei cum anima per gratiam representans & significans.

**D.** Qui sunt effectus hujus Sacramenti?

**M.** Primo confert gratiam, ut vir & mulier bene sibi convivant, & mutuo se ac spiritualiter ament sicut Christus amat Ecclesiam, & Deus animam fidelem ac justam. 2. Confert gratiam, ut filios in timore Domini educare possint & velint. 3. Adeo firmum vinculum statuit inter virum ac mulierem, ut nullo modo solvi possit; sicut



nec vinculum quod intercedit inter Christum & Ecclesiam. Unde sequitur neminem dispensare posse, ut maritus, relictâ priore conjugē, aliam sibi societ; neque ut uxor priore marito relicto alteri nubat.

*D.* Quid requiritur ad constituendum Matrimonium?

*M.* Tria. Primum est, ut utraque persona sit habilis ad conjunctionem, & ejusque capax: videlicet ut ætatem legitimam habeant, nec se mutuo ad quartum usque consanguinitatis gradum attingant, nec solemne votum castitatis ediderint, & similia. Secundum: ut in contractu Matrimonii testes adhibeant, & præsertim proprium Parochum, seu Pastorem curam animarum gerentem. Tertium, ut consensus utriusque partis liber sit, nec gravi metu coactus, sitque verbis certis, aut simili signo æquivalente expressus. Quod si vel unum ex his tribus desit, Matrimonium erit invalidum.

*D.* Utrum melius est, Matrimonium inire, an servare Virginitatem?

*2. Cor. 7.  
38.*

*Amb. 1.  
2. de Vir.*

*M. D.* Paulus hoc dubium explicavit dicens: Qui Matrimonio jungit virginem suam bene facit; & qui non jungit melius facit: scilicet virginitatem conservando. Et ratio est: quia Matrimonium est res humana: Virginitas vero



verò Angelica: Matrimonium secundum naturam, & virginitas supra naturam. Nec solum virginitas, sed viduitas Matrimonium præcellit. Unde quod Salvator noster in quadam parabola dixit, Semen in terram bonam jactum, attulisse in uno agro fructum trigesimum, in alio sexagesimum; in tertio verò centesimum, SS. Doctores sic explicant, ut fructum trigesimum tribuant Matrimonio, sexagesimum viduitati, virginitati verò centesimum.

CAPUT X:

De Virtutibus in genere.

D. Explicatis jam quatuor præcipuis doctrinæ Christianæ partibus scire cupio, num aliud præterea discernendum testet?

M. Quatuor partes à me hæcenus explicatæ scitu necessariæ sunt; præter quas & alia sunt scitu admodum utilia; & ad finem quo tendimus adipiscendum, scilicet ad beatitudinem, maximè conducentia. Ut sunt virtutes & vitia; Item bona opera & peccata. Tamen si enim inter Symbolum Apostolorum ac Decalogum explicandum etiam de his, saltem in confuso, egerimus; valde tamen conducet de iis distinctè & in particulari differere.

D. Dic ergo quid sit Virtus?

M. Virtus est qualitas quæ in sol-

G 3 inam

*Matt. 13  
8.*

*Cypr. de  
hab.*

*Virg.*

*Hieron.*

*i. in 10.*

*vin.*

*Aug.*

*ser. de*

*Virg. 8.*

*27.*





mam recipitur, & habentem bonum facit. Et sicut scientia Philosophica bonum Philosophum efficit, & ars bonum artificem: ita quoque virtus facit ut quis bonus homo evadat: & faciliter, promptè ac perfectè bene operetur. Contrà, qui virtute caret, tamen si interdum bonum operetur, non tamen nisi cum difficultate magna & imperfecti-  
one operabitur. Sume exemplum. Virtus similis est arti ejusque usui: vides aliquem pulsandæ cytharæ aut testudinis peritum? is elegantissimè, magna-  
naque cum facilitate ludet, tamen si chordas non videat: quod si quis alius artis ignarus id attentet, poterit quidem fides pulsare & ludere, non tamen expeditè nec bene. Sic quoque qui habet virtutem, v.g. temperantiæ, magna cum facilitate ac gaudio, ubi opus fuerit horam convenientem expectans perfectè jejunabit: neque aliis quàm concessis cibis, idque semel dumtaxat in die vescetur: sed qui hanc virtutem non habet, aut è contrario gulosus est, illi jejunium durissimum videbitur: & licet jejuet, non poterit tamen debitam prandendi horam expectare. Vespere autem cum tantum semel ei bibendum esset, tantam collationem faciet, ut parum distet à cœnâ.

*D. Quot sunt Virtutes?*

*M. Mul-*



M. Multæ principaliores tamen, & ad quas reliquæ omnes reducuntur, sunt septem: nimirum tres Theologicæ, Fides, Spes, Charitas: & quatuor Cardinales, Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia: Totidem sunt dona Spiritus sancti, atque Evangelicæ beatitudines, quæ omnem Christianæ vitæ beatitudinem complectuntur. Sunt etiam septem opera misericordiæ corporalia, & totidem spiritualia, quæ omnia te breviter edocebo.

1. Cor 13

13.

Sap 8. 7.

Isa. 11. 2

Matt. 5.

3.

Matt. 23

35.

## CAPUT XI.

*De Virtutibus Theologicis.*

D. Quid est Fides?

M. Fides prima est virtutum Theologicarum, hoc est, earum quæ Deum recipiunt. Hujus proprium officium est illustrare intellectum, eumque erigere ad credendum quidquid Deus per Ecclesiam nobis revelat, quantumvis difficile sit, & omni ratione naturali sublimius.

D. Quæ est ratio, quòd res fidel a Deo firmiter credere debeamus?

M. Ratio est, quod fides infallibili veritate nitatur; quandoquidem quidquid nobis proponit fides, à Deo revelatum est: Deus autem est ipsa veritas: unde impossibile est ut id, quod Deus dixit sit falsum. Quare cum fides aliquid proponit, quòd rationi videtur



contrarium, ut v. g. Virginem peperisse cogitandum est, rationem humanam imbecillem esse: at verò Deum nec fallere nec falli posse.

*D.* Quidnam hac fide credendum est?

*M.* In primis necessarium est credere ac distinctè omnes articulos Symboli, quos supra explicavimus; præsertim illos, de quibus Ecclesia per anni circulum festa instituit, ut sunt, Incarnatio Domini Nativitas, Passio, Resurrectio Ascensio: Missio Spiritus sancti, & S. S. Trinitas. Deinde paratum esse oportet, credere quidquid sancta Mater Ecclesia credendum esse declarabit. Denique exterius sibi cavere ab iis quæ signa sunt Infidelium, ut v. g. Turcicas, aut Judaicas vestes gestare, velci carnibus in die Veneris, ut hæretici faciunt, & similia. Quia necesse est, non ore tantum & corde, sed etiam opere exteriori fidem ingenuè profiteri, seque ab omni secta Ecclesie contraria alienum ostendere.

*D.* Quid est Spes?

*M.* Spes est secundà virtus Theologica; sic dicta quod in Deum feratur. Sicut enim fide in Deum credimus, ita Spe in Deum speramus.

*D.* Quod est officium Spei?

*M.* Erigere voluntatem nostram, & excitare ad æternam felicitatem sperandam.



randam. Quia enim hoc bonum adeo sublime est, ut eò aspirare humanis viribus sit impossibile, ideo supernaturalem illam virtutem largitur Deus, cuius opè confidamus fore ut aliquando bonum illud consequamur.

*D.* Cuiam fundamentò innititur hæc Spes?

*M.* Innititur infinitæ bonitati & misericordiæ Dei: cuius hoc est argumentum certissimum, quòd nobis proptium dedit filium, nosque per illum in filios adoptavit, regni que cœlestis hæreditatem promiserit, si opera dignitati receptæ conformia faciamus, ad quæ ille nobis gratiam auxiliumque sufficiens subministrat.

*D.* Quid est Charitas?

*M.* Est tertia virtus Theologica; hoc est, quæ in Deum fertur: quoniam per illam animus noster ad amandum Deum super omnia impellitur, non solum ut creatorem, auctoremque bonorum naturalium, sed etiam ut datorem gratiæ ac gloriæ, quæ sunt bona supernaturalia.

*D.* Velim scire, an in creaturas quodamque Charitas feratur.

*M.* Charitas fertur primariò in Deum, & deinde in omnia illa quæ à Deo facta sunt: cum hoc tamen discrimine, ut Deus diligatur propter seipsum,



ipsum, quia bonum quoddam infinitum est: alia vero omnia diligantur propter Deum. Et proximus quidem debet amari, eò quod ad imaginem Dei factus sit, uti & nos. Ubi per proximum non solum consanguineos & amicos, sed quoslibet homines accipimus, etiam si inimici nostri sint: quia quilibet imago Dei est, & hoc titulo amandus.

*D.* Estne Charitas magna virtus?

*M.* Est omnium maxima, tantumque bonum, ut si quis illam habeat salutem æternam non possit amittere, nisi prius illam amittat: qui vero eam non habet, nullo modo salvari potest, et si cæteras virtutes omnes possideat.

## C A P U T XII.

### *De Virtutibus Cardinalibus.*

*D.* Quid est prudentia?

*M.* Est prima quatuor virtutum Cardinalium: quæ ideo sic vocantur, quod sint quatuor virtutes principales, & omnium aliarum virtutum moralium & humanarum veluti fontes. Prudentia enim intellectum, Justitia voluntatem, Temperantia appetitum concupiscibilem, Fortitudo vero irascibilem gubernat.

*D.* Quod est officium Prudentiæ?

*M.* Est monstrare in omni actione debitum finem, & convenientiam mediæ, omnesque circumstantias, videlicet  
tempus,



tempus, locum, modum & similes, ut in omnibus & per omnia bene fiat: unde reliquarum virtutum magistra vocatur: & se habet instar oculi in corpore, instar salis in cibo, & solis in mundo.

D. Quæ sunt vitia Prudentiæ contraria?

M. Virtus semper in medio consistit, ideoque duo vitia contraria habet, quæ sunt ejus extrema. Prudentiæ primò contraria est imprudentia, id est, inconsideratio & temeritas, estque illorum qui res agendas non perpendunt; quapropter neque verum finem respiciunt, neque vera media capiunt. Secundò Prudentiæ contraria est astutia, sive prudentia carnis, estque illorum qui summa cum industria expendunt finem ac media, sed in omnibus utilitatem propriam spectant, ut bonum aliquod temporale obtineant. Quapropter astutè proximum decipere conantur; ut ad suum beneplacitum universa succedant. In fine tamen videbitur tales homines imprudentissimos fuisse: quod propter amorem boni tam exilis summi boni jacturam fecerint.

D. Quid est Justitia, & quod ejus officium?

M. Justitia est virtus, dans uni-  
cuique quod suum est. Itaque officium  
ejus



ejus est in omnibus quod æquum ac justum est facere, & in humanis contractibus æqualitatem adhibere: quod est pacis ac quietis fundamentum. Nam si quisque suo contentus viveret, nec quod alterius est, appeteret, nullum unquam bellum, neque discordia existeret.

*D.* Quæ sunt vitia justitiæ contraria?

*M.* Duo sequentia, videlicet, Injustitia, quando quis quod alterius est, accipit; aut in contractibus minus dare vult quam debet; aut plus recipere quam ei debetur. Et nimia Justitia: quando quis nimis rigorosus est, & nimis subtiliter omnia, contra dictamen rationis, ad regulam justitiæ, vult exigere. Nam in multis casibus justitia cum misericordia miscenda est: ut v. g. si quis pauper non possit absque gravi damno, tam citò solvere, rationabile ac justum erit, aliquid illi temporis indulgere: quod qui non facit, peccat per nimium rigorem.

*D.* Quid est Fortitudo, & quod ejus officium?

*M.* Fortitudo est virtus, quæ promptum hominem facit, ad omnes difficultates superandas, quæ bonum opus impediunt: etiam ad ipsam mortem subeundam; quando vel ad gloriam Dei, vel ad officium nostrum præstandum sic fuerit necesse. Hujus enim virtutis



ritus beneficio, Martyres omnes de per-  
secutoribus triumpharunt; omnesque  
similiter generosi milites, qui in iustis  
bellis se strenue gessere; per eandem  
virtutem facti sunt gloriosi.

*D.* Quæ sunt vitia Fortitudini con-  
traria?

*M.* Duo, Timor & Audacia. Timor  
facit ut quis facillime animum abiciat  
quod utique ex defectu fortitudinis  
nascitur. Audacia vero facit, ut præsen-  
tissimis periculis se quis objiciat sine  
necessitate: quæ, ut sic dicam, nimia  
fortitudo est, nec laude digna: sed vitu-  
perio, adeoque non virtus, sed vitium est.

*D.* Quid est Temperantia, & quod  
ejus officium?

*M.* Temperantia est virtus quæ sensu-  
alibus delectationibus frænum injicit;  
facitque ut quis hujusmodi voluptati-  
bus ex præscripto rationis utatur.

*D.* Quæ sunt vitia Temperantiæ  
contraria?

*M.* Hæc duo, Intemperantia, & In-  
sensibilitas. Intemperantia est, quan-  
do quis nimium delectationibus se de-  
dit; ideoque in cibo, potu, & simili-  
bus excedit; quod tam animæ quam  
corpori est nocivum. Insensibilitas est,  
quando quis ad alterum extremum  
progreditur; & adeo voluptates om-  
nes fugit, ut etiam necessarius eibus ad  
san-



sanitatem conservandam uti nolit, ne modicam illam delectationem, sentiat, quam cibus conveniens naturaliter affert. Communius tamen inter homines est vitium Intemperantiæ, quàm Insensibilitatis: quare etiam omnes Sancti, & verbis & operibus nos maximè ad jejunia carnisque mortificationem sunt exhortati.

## CAPUT XIII.

*De septem Donis Spiritus sancti.*

*Isa. 11. 2* D. **Q**uæ sunt Dona Spiritus sancti?

M. Sunt illa quæ Isaias Prophetam recenset: nempe, Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, ac Timor Domini:

D. Quid utilitatis hæc Dona nobis afferunt?

M. Per illa perfectionem vitæ Christianæ consequimur: habent enim se instar scalæ, per quam à statu peccati, per diversos gradus ad summam sanctitatem progredimur. Advertendum tamen est Prophetam in horum graduum enumeratione deorsum tendere; quia scalam illam è cælo descendentem aspexit: ac nos eam invertimus, & ab inferioribus gradibus sursum feremur, ac de terra quodammodo in cælum conscendimus. Quare primus est, Timor Domini, terrens peccatorem, quando De-



um inimicum suum esse considerat. Secundus, est Pietas: quia, qui pœnas peccatoribus à Deo intentatas timet, pius fieri incipit, & Deo servire desiderat, ac in omnibus rebus voluntati ejus parere. Tertius, est Scientia: qui enim desiderat facere Dei voluntatem, petit ut se de præceptis ac legibus suis erudiat. Deus verò partim per Prædicatores, partim per libros, partim per inspirationem internam docet ea omnia, quæ scitu sunt necessaria. Quartus gradus est Fortitudo: quia qui scit voluntatem Dei, illique in omnibus servire proponit, multas offendit difficultates à mundo, carne & diabolo: & ideo dat illi Deus hoc donum Fortitudinis, quo omnes difficultates perfringat. Quintus gradus est Consilium: Diabolus enim, quando hominem vincere non potest, ad fraudes convertitur, & sub prætextu alicujus boni, homini justo casum adornat. Deus verò illum non deserens, consilii donum communicat, quo adversus fraudes inimici prævalere possit. Sextus gradus est Intellectus. Quia ubi jam homo satis exercitatus est in vita activa, multasque à dæmone retulit victorias, trahit eum impellitque ad vitam contemplativam, & per donum Intellectus facit, ut divina mysteria intelligat

gat



gar ac penetret. Septimus gradus est Sapiencia, estque perfectionis complementum: Ille enim qui sapiens est, primam causam cognoscit, & actiones suas omnes ad illam ordinat, quod ille solus facere potest, qui huic dono Intellectus perfectam Charitatem adjungit. Nam intellectu primam causam cognoscit, & Charitate omnia ad eam velut ad ultimum finem ordinat ac disponit. Et quia Sapiencia affectum intellectui jungit, ideo sapiencia vocatur, id est sapida scientia; ut docet D. Bernardus.

## C A P U T XIV.

*De octo Beatitudinibus.*

**D.** Quid sunt octo illæ beatitudines quas Christus nos docuit in Evangelio?

**M.** Sunt altera scala per quam ad perfectionis apicem ascendamus, similis illi quam de donis Spiritus sancti construximus. Nam in septem sententiis illis continentur septem gradus, quibus beatitudinem adipiscimur: Octava verò signum indicat ex quo sciamus an quis scalam illam ascenderit necne.

**D.** Hanc scalam mihi breviter explica.

**M.** In tribus prioribus gradibus docet nos Christus removere impedimenta perfectionis, per quam beatitudinem consequimur. Generalia & ordinaria impedimenta tria sunt, nempe  
desi.



desiderium bonorum temporalium, honorum, & voluptatum. Quapropter in primo gradu dicit Christus beatos esse pauperes spiritu, id est, illos qui voluntariè bona sua contemnunt. In secundo dicit beatos esse mites, qui cedunt omnibus, neque resistunt iis qui se illis volunt præponere. In tertio dicit beatos esse illos qui lugent, id est, qui mundi lætitiã & voluptates non quærunt, sed attendunt quomodo pœnitentiam faciant, & peccata sua deplorent.

Porro in duobus gradibus sequentibus vitæ activæ perfectionẽ docet, quæ in eo sita est, ut quis ea omnia expleat, ad quæ ex justitia & charitate tenetur. Idcirco in quarto gradu dicit beatos qui famem sitimque habent justitiæ: & in quinto, beatos esse misericordes.

In duobus postremis ad perfectionem vitæ contemplativæ nostrahit: & propterea in sexto dicit beatos illos qui corde mundo sunt, quia Deum videbunt, videlicet in altera vita per gloriam, & in hac per gratiam contemplationis. In septimo beatos dicit pacificos, eò quòd filii Dei vocabuntur: id est beati sunt qui contemplationi perfectam charitatem adjungentes, omnia in Deum direxerint, ac universum animæ regnum peccatum reddiderint: hi enim filii Dei evadent, similes Patri,



Patri, sancti ac perfecti. Octava sententia novum gradum perfectionis non continet, ut rectè D. August. observat, sed manifestum signum prodit ex quo cognoscere possimus, num quis perfectionem adeptus sit. Hoc autem signum est, persecutiones libenter tolerare. Quemadmodum enim aurum in fornace probatur: sic quoque homo justus & perfectus, tribulationibus.

## CAPUT XV.

*De septem operibus Misericordiae corporalibus, & septem spiritualibus.*

**D.** Superest ut explices mihi opera Misericordiae tam corporalia, quam spiritualia.

*Matt. 25*

**M.** Opera misericordiae septem sunt, quorum sex in Evangelio recensentur: videlicet, Esurientes pascere, dare potum sitientibus, operire nudos, hospitio peregrinos suscipere, ægros invisere, redimere captivos. Septimum quod est, mortuos sepelire, S. Tobias & Angelus Raphaël nos docuere.

*Tob. 12.*

Opera misericordiae spiritualia sunt totidem, scilicet, Ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, solari mœstos, errantes corrigere, offensam remittere, ferre patienter injurias, pro vivis & defunctis Deum rogare.

**D.** Daturne aliqua causa, per quam  
ab



ab horum operum exercitio excusemur,

M. Tres causæ excusare nos possunt. Prima est, si quis debitis mediis careat. Unde Lazarus mendicus ille, de quo legimus in Evangelio, nullum exercuit opus misericordiae corporalis, quoniam ipse pænè omnibus misericordiae corporalis operibus indigebat; & sic propter patientiam coronatus est. Talis enim est Dei dispositio, ut divites per opera misericordiae, pauperes verò per patientiam salvi fiant. Pari modo nec ille docere alios, aut consilio juvare tenetur, qui ne pro se quidem sciat habet scientiae vel prudentiae. Secunda causa est, quando quis Deo servit in statu altiore, quam sit status vitae activae, ac propterea non habet occasionem, corporalia misericordiae opera exercendi: ut in Eremitis videre est, qui solitudinibus, aut cellis suis conclusi, caelestia contemplantur. Illi enim non tenentur sancta sua exercitia deserere, ut quærant quibus misericordiae opera impendant. Tertia est, quando quis neminem invenit, qui ejus opere notabiliter indigeat; quia illis solis succurrere tenemur, qui neque seipsum juvare possunt, neque alios habent, qui illis opem ferre & possint & velint. Perfecta tamen misericordia obligationis tempus non exspectat, sed pa-



rata est promptè succurrere omnibus  
quibus potest

*D.* Videtur mihi, ultimum opus mi-  
sericordiæ quod est, precari Deum pro  
proximo, ab omnibus præstari posse.

*M.* Sic est: & ob id etiam Eremitæ  
misericordiæ opera præstant, Deum  
enim rogant pro omnibus qui ejus gra-  
tiâ habent opus.

### C A P U T X V I:

*De Vitiis & Peccatis.*

*D.* **J**Am tempus est ut quemadmo-  
dum me docuisti virtutes & bo-  
na opera, ut iis acquirendis incumbam,  
sic etiam doceas quid sit vitium & pec-  
catum ut ea fugiam.

*M.* Peccatum nihil est aliud, quàm  
commissio vel omissio voluntaria,  
contrâ legem Dei. Ubi nota tria ad  
peccatum requiri. Primum est ut sit  
commissio aliqua vel omissio, id est,  
ut quis faciat aliquid quod prohibi-  
tum est, aut omittat aliquid quod  
est præceptum. Sic blasphemare est  
peccatum commissionis: non audire  
Missam, omissionis. Secundum est, ut  
commissio illa sive omissio sit contra  
legem Dei, lex enim Dei est generalis  
regula benè operandi, sicut ars fabrilis  
est regula rectè fabricandi. Et ideo si-  
cut ille non est bonus Architectus, nec  
rectè fabricat, qui ex artis præscripto

non



non operatur, sic etiam ille non bene vivit, nec bonus homo est, qui non sequitur legem Dei. Ubi per legem Dei non illam tantum intelligimus, quam per semetipsum tulit, videlicet decem Præcepta; sed etiam illam, quam per Summos Pontifices, aliosque Superiores, tam spirituales, quam temporales proponit: quia hi omnes Ministri Dei sunt, suamque ab eo auctoritatem acceperunt. Tertium est, ut commissio illa vel omissio sit voluntaria, quod enim quis sine assensu voluntatis facit, peccatum non est: ut si quis blasphemet dormiens, aut nondum rationis usum adeptus; non peccat, quia abest consensus voluntatis.

**D.** Intellexi quid sit peccatum: Dic mihi jam quid sit vitium.

**M.** Vitium est malus habitus, vel consuetudo peccandi, frequentius peccando acquisita: per quam fit ut quis facilius, magis temerè, & majori cum gaudio peccet. Sic exempli gratia dicimus quempiam blasphemum esse, aut nugacem, si blasphemare solet, aut nugari ex consuetudine: adeo ut blasphemare, sit peccatum; & blasphemum esse sit vitium. Idem de cæteris omnibus vitiis dici debet.

**D.** Estne peccatum ingens malum?

**M.** Est utique tale quo nullum majus

**H** invenit



invenitur : imò illud solum est absolute malum Deoque magis, quam ulla res alia invisum. Quod inde colligitur, quia Deus mavult etiam nobilissimas creaturas suas perdere, quam peccatum impunitum relinquere. Si quis Princeps haberet vas aliquod pulcherrimum, ex argento vel auro mundissimo fabrefactum, in eoque graveolentem aliquem liquorem deprehendens, tanto opere indignaretur, ut vas illud confringi juberet, & in profundum maris demergi; diceret indubiè Principem illum gravissimè dictum liquorem abominari. Sic Deus duo pretiosissima fabricavit vasa, unum ex argento, qui est homo, alterum ex auro, scilicet Angelum; & quia in utroque putidissimum illum liquorem, nempe peccatum invenit, ideo omnes quidem Angelos peccato obnoxios in profundum inferni, perpetuamque miseriam præcipitavit ac demersit: & quotidie in eundem perditionis locum præcipitat homines illos qui in peccatis decedunt. Denique propter peccata, mundum universum (solo Noë cum familia sua excepto, eo quod justitiam coluisset) quondam suffocavit.

*D.* Quot sunt peccatorum genera?

*M.* Duo, Originale & Actuale. Actuale etiam bifariam dividitur, in mortale & veniale.

C A



## CAPUT XVII.

*De Peccato originali.*

D. Quid est peccatum originale?

M. Peccatum originale est illud cum quo nascimur, quodque à primo parente in nos descendit. Quod ut melius intelligas, scito, Deum ubi primum virum primamque mulierem [ qui Adam & Eva dicebantur ] condiderat, septem illis dona largitum esse: Primò gratiam qua iusti erant, & amici Dei, filiique ejus adoptivi. 2. Scientiam magnam, ut nosset bonum facere, & à malo declinare. 3. Obedientiam talem illis attribuit, qua caro spiritui obsequeretur, ne illicitis desideriis adversus rationem insurgeret. 4. Promptitudinem maximam ac facilitatem dedit ad bonum faciendum, & declinandum malum: & unicum, idque facillimum præceptum illis præscripsit. 5. Illos omnis molestiæ ac timoris securus fecit: quoniam terra sponte suâ, fructus sufficientes ad humanæ vitæ sustentationem proferebat: nec erat quod homini nocere posset. 6. Immortales condidit, hoc est, nunquam morturos, si non peccarent. 7. Volebat post aliquam temporalis vitæ moram, illos ad cælum, vitamque æternam & gloriosam, quâ Angeli fruuntur, transferre.

H 2

Verum



Verum primus vir & prima mulier, à diabolo decepti; non observarunt præceptum illud, atque adeo in Deum peccarunt, & septem jam commemorata dona perdiderunt. Cum autem Deus illis hæc dona, non pro se tantum sed etiam pro omnibus ab illis descendentibus contulerit, ideo non solum sibi, sed etiam posteris suis ea amiserunt: eosque non solum peccati sui, sed etiam miseriarum omnium fecere participes, quemadmodum gratiæ, cæterorumque bonorum participes fuissent, si non peccassent. Hoc ergo est peccatum originale: inimicitia quædam cum Deo, divinæque gratiæ privatio, quacum nascimur. Et ab hoc procedit ignorantia, & prava inclinatio: difficultas faciendi bonum, & faciendi mali facilitas: pœna ac labor in providendis vitæ necessariis: timor ac pericula quibus circumdamur: mors corporis certissima, & mors inferni æterna, si ante articulum mortis nostræ à peccato non liberemur & ad statum gratiæ non redeamus.

**D.** Quodnam adversus peccatum originale remedium est?

**M.** Suprà diximus ejus remedium esse Passionem & mortem Christi. Voluit enim Deus, ut qui pro peccato Adami satisfaceret, expers esset peccati, eique infinitè acceptus: ac proinde Deus & homo



homo foret: illique obediret non in re adeo facili, qualis Adamo præcepta fuerat, sed in re longè difficillima, hoc est in morte crucis ignominiosissima. Hoc remedium per Baptismum nobis applicatur, ut supra diximus. Et quamvis non sit visum Deo, omnia illa septem dona statim nobis restituere: voluit tamen nobis reddere præcipuum, quod est gratia, per quam iusti, & amici ac filii Dei, hæredesque regni cælestis constituimur. Porro reliqua dona magno cum scœnore in altera vita restituentur, si in præsentibus nos rectè gesserimus.

## CAPUT XVIII.

*De Peccato mortali & veniali.*

**D.** Explica nunc; quid sit peccatum actuale, & quomodo unum sit mortale, aliud veniale.

**M.** Peccatum actuale est, quod iam ratione utentes, propria voluntate committimus: ut sunt furari, occidere, pejorare, & similia quæ legi divinæ contraria sunt. Et hoc peccatum mortale est, quando nos gratiâ Dei privat quæ vita est animæ, æternâque inferni morte dignos facit. Tunc autem est veniale, quando quidem displicet Deo, non tamen adeo, ut illius privet gratiâ: & pœnam quidem temporalem, non tamen æternam meretur.

H 3

D.



D. Quomodo peccatum veniale à mortali dignoscam ?

M. Ut scias quandonam peccatum sit mortale, duas regulas observes necesse est. Prima, Peccatum mortale debet esse contra charitatem, Dei aut proximi. Secunda, Debet etiam ex pleno voluntatis consensu proficisci, quarum altera si defuit, non erit peccatum mortale, sed veniale. Tunc autem dicitur peccatum esse contra Charitatem, quando in materia gravi, legi divinæ adversatur: adeo ut offensa ad tollendam amicitiam sufficiat. Ac si in levi materia committatur, nec ad dissolvendam amicitiam sufficiat, tunc quidem non est contra charitatem, sed dicitur non esse secundum charitatem. Et sic de prioris peccato dicitur quod sit contra legem, quia est contra charitatem, quæ est finis legis: de posteriore vero dicitur quod non sit contra legem, sed non secundum legem, quia non est contra charitatem: sed dicitur non esse secundum charitatem: verbi gratia, magnam pecuniæ summam furari, est peccatum mortale, quia est contra legem Dei, & in materia gravi versatur, omniumque iudicio sufficit ad dissolvendam amicitiam: atque ita est contra charitatem.

Ac



At verò furari obolum aut aciculam, similemve rem levem non est peccatum mortale, sed veniales quia in materia levi versatur, & licet non sit secundum charitatem, non tamen est contra charitatem: quia non est res talis, quæ rationabiliter amicitiam possit dissolvere.

Eodem modo de altera conditione dicemus, quæ est ut sit voluntarium. Si enim peccatum est contra legem, & in materia gravi versatur, & est perfectè voluntarium, est peccatum mortale. Si verò non fuerit perfectè voluntarium, ut si quis habeat cogitationem aut desiderium repentinum furandi, occidendi, aut blasphemandi, illudque retractet: priusquam plenarius voluntatis consensus accesserit, erit solummodò veniale. Quapropter vigilanter agendum est ut quamprimum quis malam cogitationem aut desiderium intus advenit, illud excutiat priusquam voluntas consentiat.

### CAPUT XIX.

*De septem Peccatis capitalibus.*

**D.** Nunc scire desidero, quæ sint peccata præcipua, ut ea majore cum diligentia possim evitare.

**M.** Quædam ideo præcipua sunt, quia sunt veluti fontes ac radices multorum aliorum, & hæc vocantur capitalia: & sunt septem. Alia verò ideo



sunt præcipua, quia difficulter remittuntur, vocanturque peccata in Spiritum sanctum, & hæc sunt sex. Denique alia sunt præcipua, quia sunt manifestius enormia, & contra omnem rationem: ideoque vindictam in cælum clamare dicuntur: & sunt quatuor.

*D.* Quænam sunt peccata capitalia?

*D. Gre.*

*31. Mor.*

*c. 17. alii*

*as 31o*

*M.* Sunt hæc: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

*D.* Quamobrem capitalia dicuntur?

*M.* Non vocantur Capitalia, eò quod mortalia sint, multa enim sunt mortalia, quæ tamen non sunt capitalia, ut blasphemia, & homicidium: & multa capitalia non sunt semper mortalia, ut est gula, ira, acedia. Vocantur ergo capitalia, quia capita sunt multorum aliorum, quæ ab illis, tanquam rami à radice, aut rivuli à fonte procedunt.

*D.* Quid est Superbia, & quænam peccata progignit, & quod est illi remedium?

*M.* Superbia est peccatum, per quod homo se majorem putat esse, quàm sit, ideoque vult aliis anteponi: & nec superiorem, nec æqualem ferre potest. Peccata quæ producit sunt: jactare se, vaneque gloriari, cum aliis contendere, discordia, inobedientia, aliaque similia. Ejus remedium est.

cum



cum omni diligentia sanctæ humilitati incumbere, id est, agnoscere se nihil esse ex seipso, & quidquid habet esse donum Dei, considerare etiam alios esse meliores se, ac proinde minorem se omnibus æstimare. Interiùs omnibus se subicere, exteriùs verò quemlibet pro gradu suo honorare. Juvat etiam in primis considerare, quòd superbia hominem diabolo similem reddat, maximeque Deo displiceat. Unde scriptum est, Quod Deus superbis resistat, humilibus verò det gratiam: illos confundat, hos exaltet.

1. Reg. 5.  
2. Cor. 4.

**D.** Quid est Avaritia, & quænam peccata ex ea nascuntur, & quodnam est illius remedium?

**M.** Avaritia, est appetitus inordinatus divitiarum, & consistit in tribus: Primum est quod quis alterius bona appetat, nec suis contentus sit, Secundum, quod plus desideret quàm sit necessarium, nec superflua velit pauperibus elargiri. Tertium est, quòd ea quæ possidet, nimium amet, licet non sint superflua. Quod tunc facile cognoscitur, quando quis paratus non est bonorum suorum jacturam facere in casu quo id ad Dei honorem fuerit necessarium. Unde Paulus dicit, Avaritiam esse Idololatriam: quia avarus anteponit bona sua Deo, ma-

Ep. 4. 5



vultque perdere Deum, quàm bona sua

Multa peccata ab avaritia nascuntur, ut est furtum, rapina, fraus in emptione & venditione, crudelitas in pauperes, & aliaque similia. Remedium ejus est, in virtute liberalitatis se exercere, considerando nos in hac vita viatores & peregrinos esse, ac propterea utilissimum non onerari bonis istis, sed in viæ socios dividere, ut secum illa in cœlestem patriam deferant: nosque deonerati, tanto expeditius viam nostram conficiamus.

*D.* Quid est Luxuria & quæ peccata gignit, & quod ejus remedium?

*M.* Luxuria est appetitus inordinatus voluptatum & delectationum carnalium. Peccata ab ea procedunt sunt, Cæcitas mentis, temeritas, inconstantia: item adulterium, fornicatio, obscœna verba, & omnis alia immunditia. Remedium est, exercere se jejuniis & orationibus, malamque societatem declinare; illa enim mediæ sunt ad castitatem servandam necessaria, & præcipuè sibi metipsi non fidere, nec virtuti aut sanctitati suæ, sed à periculis procul abstinere, sensusque suos custodite: considerando Samsonem fortissimum, Davidem sanctissimum, & Salomonem sapientissimum ab hoc vitio deceptos esse, grandemque



que mentis cæcitatem incurrisse, præsertim Salomonem, quem concubinæ ad omnium Idolorum suorum cultum pettraxere.

D. Quid est Invidia, & quæ ab illa peccata proveniunt, quodque ejus remedium?

M. Invidia est peccatum per quod homini bonum alterius displicet, quia apprehendit propriam excellentiam per illud diminui. Ubi nota, quod quando tibi bonum alterius ideo tantum displicet, quia non est dignus, aut quia eo abutitur, id non esse peccatum. Similiter quando tibi displicet, non habere te bona, quæ alii habent, præcipuè virtutem devotionem, bonaque similia, non est peccatum: sed potius sancta & laudabilis Invidia. At vero quando tibi displicet, alium aliquem bona quædam habere, quæ tibi videntur obfuscare gloriam tuam, vellesque cum talibus carere, ne sic vel æqualis tibi, vel superior evaderet, tunc Invidiæ peccatum committis. Ex quo alia multa procedunt, ut judicium temerarium, gaudium de malo alterius, murmuratio, detractio. Invidus enim bonam famam proximi minuire quærit. Imò ad homicidium subinde excitatur, quemadmodum Cain fecit, qui ex invidia fratrem occidit: & Judas, qui ex invidia



Christo Domino mortem procuravit.

Remedium illius est exercere se in charitate fraterna, & seriò perpendere, Invidiam magis invidenti quàm invidendo nocere. Affligit enim se invidus, seque intus exedit: & sæpe Deus eadem via invidendum exaltat, per quam illum dejicere ac humiliare invidus moliebatur. Sic videmus diabolum quidem per invidiam primum hominem de paradiso terrestri depulisse: Deum verò illa occasione arrepta. Christum in mundum misisse, cujus meritis coelestem illi paradisum donavit. Joseph Patriarcha à fratribus per Invidiam est venditus; at Deus illa occasione effecit, ut Dominus suorum fratrum evaserit. Saul rex Davidem ex Invidia est persecutus, at Deus ideo Sauli regnum ademit, & in Davidem transtulit.

D. Quid est Gula, & quæ peccata gignit, & quod ejus remedium?

M. Gula est appetitus inordinatus cibi & potus. Quæ inordinatio consistit in sumptione cibi affluentioris quàm conveniat, aut in eo quòd quis nimis pretiosos cibos requirat, aut prohibitos, verbi gratia carnes in die Veneris vel Sabbati, aut quando quis statam vescendi horam non observat,

præ



præsertim in die jejunii : aut denique dum quis nimiam cum aviditate & ingluvie comedit. Peccata quæ ex Gula nascuntur sunt, obscuritas mentis, vanum gaudium, multiloquium. Sæpe etiam ex Gula luxuria procedit, quæ omnes quoque filias suas secum affert. Remedium ejus est temperantiam & abstinentiam colere, animam juxta ac corpori apprimè fructuosam. In quem finem præcipuè proderit bene expendere, quod delectatio Gulæ brevissima sit & sæpe diutinum stomachi capitisque dolorem post se relinquat.

D. Quid est Ira, & quæ peccata parit: & quod ejus remedium?

M. Ira est inordinatus appetitus vindictæ. Sed sciendum est Iram moderatam recteque ordinatam bonam esse. Quare in Psalmo dicitur: Irascimini, & nolite peccare. Et S. Basilius ait: Iram instar canis esse, qui bonus est cum inimicos aggreditur, malus quando amicos. Deordinatio illa Iræ in tribus fita est. primum, quod quis vindictam velit sumere de eo qui castigari non meruit, nec offendit. Secundum, quod quis velit vindictam sumere autoritate propria: quia de malefactore vindictam sumere, eumque punire, solum ad Superiores spectat: quales sunt Principes & Magistratus. Et quia supremus Prin-

*Ps. 4. 5.  
Basilius  
Orat. de  
Ira.*



Princeps est Deus, ideo dicitur quod ad ipsum principaliter spectet vindictam sumere. Tertium, quod quis vindictam ex odio instituat, non autem ex zelo justitiæ, & in modo aliisque circumstantiis excedat.

Peccata quæ ex Ira inordinata nascuntur sunt, Contentio, injuriosa verba verbera, actus inconuenientes, ac si quis mentis inops foret, quoniam ira inordinata amentia est simillima. Remedium ejus est in Mansuetudinis virtute se exercere, & in pœnitentia: considerando exempla Sanctorum, & ipsius Christi, qui per patientiam ac tolerantiam multò gloriosius triumphauit, quàm ulli mundani quando de inimicis suis se vindicauere.

*D.* Quid est Acedia, quæ peccata producit, & quod ejus remedium?

*M.* Acedia vox Græca est, & significat tædium, fastidium, ac negligentiam. Et tunc peccatum capitale est, quando quempiam tædet boni operis, ac displicet quòd ad observantiam diuinorum Præceptorum, tenendamque virtutum semitam obligetur. Peccata ex Acedia pullulantia sunt, Contemptus præceptorum, & quod quis se vitis in prædam objiciat: & bene agere posse desperet: Odium denique & rancor in illos susceptus, qui hominem ad decli-



declinandum à malo, & ad viam virtutis capessendam compellunt. Remedium ejus est, nunquam esse otiosum, libros pios legere, cogitare quantum præmium Deus diligentibus præceptorum suorum observatoribus promiserit, & pœnam æternam ac intolerabilem, quam negligentibus præparavit.

## CAPUT XX.

*De Peccatis in Spiritum sanctum.*

**D.** Quot & quæ sunt peccata in Spiritum sanctum?

**M.** Sex, videlicet, Desperatio de salute, Præsumptio citra meritum salutem consequendi, Agnitæ veritatis impugnatione, Gratiæ alteri datæ invidentia, Obstinatio in peccatis, & Finalis impœnitentia.

**D.** Quare ista vocantur peccata in Spiritum sanctum?

**M.** Quia ex mera malitia committuntur, & maximè tertium, quod præ cæteris magis propriè peccatum in Spiritum sanctum est, quando nimirum quis veritatem cognoscens, nihilominus vult obstinate manutenere ac probare id verum non esse. Peccatum porro ex malitia, in Spiritum sanctum committi dicitur, quia Spiritui sancto bonitas tribuitur, cui contrariatur



riatur malitia : quemadmodum peccatum ex ignorantia dicitur esse contra Filium, cui tribuitur Sapientia : & peccatum ex fragilitate, dicitur esse contra Patrem, cui potentia defertur.

*Mat. 22*

D. Quidnā habent proprii hæc peccata?

M. Hoc nimirum, quod neq; in hoc sæculo, neq; in altero remittantur, sicut Christus in Evang. docuit. Quod tamē sic intelligendum est, quod earum remissio difficulter obtineatur : eò quòd rarum sit & difficile, ut hisce peccatis obnoxii ad veram pœnitentiam perveniant, quemadmodum cum dicimus morbum aliquem incurabilem esse, non intendimus dicere eum nullo modo curari posse, sed quòd raro curetur, Ordinariè verò omnia remedia superet.

### C A P U T XXI.

*De Peccatis in cœlum clamantibus.*

D. **Q**uot & quæ sunt peccata in cœlum clamantia?

*a Gen. 4*

*10.*

*b Gen.*

*28. 10.*

*c Exod.*

*22. 25.*

*d Iac. 5.*

*4.*

M. Sunt quatuor, videlicet: Homicidium voluntarium *a* Peccatum carnis contra naturam *b* quod Sodomiticum vocari solet: Oppressio pauperum *c* & præsertim orphanorum & viduarum: & Merces operariorum defraudata. *d*

D. Quare ista in cœlū clamare dicuntur?

M. Eo quòd tam manifesta sit illorum peccatorum injustitia, ut nullo modo cooperiri aut abscondi queant.

CA.



## CAPUT XXII.

*De quatuor Novissimis.*

**D.** Velim generale quoddam documentum ad fugiendum peccata.

**M.** Sapiens ait, Recordare novissima tua, & in æternum non peccabis. Hæc novissima sunt quatuor: Mors, Generale judiciũ, Infernus, ac Cœlestis gloria.

*Eccl. 7.*

**D.** Quare illa quatuor Novissima vocantur?

**M.** Quia mors est finis vitæ, extremumque omnium, quæ nobis in hoc mundo occurrere possunt. Judicium illud generale, ultimum judiciorum omnium est, quæ instituentur, à quo ad aliud tribunal nulla dabitur appellatio. Infernus ultimum malum est quod peccatoribus irrogabitur, in quo sine ulla relaxatione in æternum permanent. Cœlestis gloria denique ultimum bonum est, bonis conferendum, quod nunquam sint amissuri.

**D.** Age dic, quid circa hæc quatuor consideratione dignum occurrat: ut ea sæpe memoria reperens non peccem, quæ admodũ Sapiens à te allegatus dicit

**M.** Circa mortem hæc quatuor puncta considerata occurrunt. Primum est, quod mors sit certissima, nec ullus eam effugere queat. 2. Quòd hora mortis incerta sit, multique moriantur quando id minimè expectant. 3. Quod  
per



per mortem in hoc mundo abrumpan-  
tur & terminentur omnia : & tunc de-  
mum mundi vanitas agnoscat. 4.  
Quòd tempore mortis quilibet homi-  
num super commisso malo , & bono  
omisso doleat ; quare magna stultitia  
est, hoc facere de quo certus sis fore ut  
te pœniteat.

Circa extremum Judicium hæc pun-  
cta perpende. 1. Quòd hoc Judicium  
instituentum sit de rebus gravissimis ,  
videlicet de summo bono , & summo  
malo. 2. Quòd hoc fiet per supremum  
Judicem, qui scit omnia , & cui nemo  
potest resistere. 3. Quòd in præsentia  
totius orbis , à qua mortalium nemo  
se poterit subducere. 4. Quòd ne mini-  
ma quidem spes sit affutura, extremam  
illam sententiam , aut executionem di-  
vinæ Justitiæ effugiendi.

Circa Internum considerandum oc-  
currit quòd sit latus, longus , altus &  
profundus. Latus, eò quod omnes pœ-  
nas etiam imaginabiles complectatur.  
Longus, eò quod pœnæ illæ omnes sint  
æternæ. Altus, quod sint acerbissimæ  
in summo gradu. Profundus, quòd sint  
meræ pœnæ, & nullo penitus consola-  
tionis genere permixtæ.

Circa cælestem gloriam similiter  
considerandum est , illam amplam ac  
latam esse, eò quod omne bonum ima-  
gina-



ginabile contineat, imò plus quam nos  
 imaginari aut desiderare possimus.  
 Longa, quia omnia illa bona æterna  
 sunt. Alta, quia bona omnia summa  
 sunt ac nobilissima. Profunda, quia ve-  
 ra puraque sunt bona, nullius mali ad-  
 mixtione violata. Ubi insuper & hoc  
 advertendum bona hujus mundi nul-  
 lam ex quatuor hisce conditionibus ha-  
 bere: quandoquidem brevia exigua-  
 que & semper doloribus angustiisque  
 sunt temperata: uti è contrario mala  
 hujus mundi, pauca, brevia, & exigua  
 sunt, semperque aliquali consolatione  
 perfusa. Unde concludes, omnes illos  
 revera desipere, qui præ amore hujus  
 vitæ, vel præ timore tribulationum  
 præsentium aut futura bona perdunt,  
 aut in futura mala labuntur.

F I N I S.

---

# I N D E X

## C A P I T U M.

- CAP. I. *Quæ sit doctrina Christiana, &*  
*quæ illius partes principales* pag. 3.  
 II. *Explicatio signi SS. Crucis.* §  
 III. *Declaratio XII. Articulorum Sym-*  
*boli.* 10  
 IV. *Explicatio Orationis Dominica.* 54  
 V. *Explicatio Salutationis Angelica.* 72  
 VI. *Exo*



INDEX CAPITUM.

VI. Explicatio Decalogi, seu decem Præceptorum Dei.	79
Explicatio primi Præcepti.	83
Secundi 92 Tertij 99 Quarti 104	
Quinti 107 Sexti 109 Septimi 111	
Octavi 114 Noni 117 Decimi 119	
CAP. VII. Explicatio Præcept. Eccl.	121
VIII. Explicatio Consiliorum Evan. ib.	
IX. Explicatio Sacramentor. Eccl.	124
De Baptismo 128 De Confirmatione 132	
De SS. Euchar. 134 De Pœnitentia 143	
De Extrema unctiōe. 149 De Ord. 150	
De Sacramento Matrimonii.	151
X. De Virtutibus in genere.	153
XI. De Virtutibus Theologicis.	155
XII. De Virtutibus Cardinalibus.	158
XIII. De septem Donis Spiritus san.	162
XIV. De octo Beatitudinibus.	164
XV. De septem operibus Misericordiæ corporalibus, & septem spiritalibus.	166
XVI. De Vitiis & Peccatis.	168
XVII. De Peccato originali.	171
XVIII. De peccato mortali & ven.	173
XIX. De septem peccatis capitalibus.	175
XX. De Peccatis in Spiritum sanct.	183
XXI. De peccat. in cœlum clamant.	184
XXII. De quatuor Novissimis.	185

F I N I S.



s  
e  
s  
t  
-  
:  
i  
-  
e  
n  
-  
s

834









Handwritten in blue ink: *FL 2665*

ULB Halle 3  
007 375 026



*Sb.*


*WDA*











Farbkarte #13

B.I.G.



BELLARMINI  
 ani ex Soc. Jesu  
 R. E. Cardinalis  
 I S T I A N Æ  
 T R I N Æ  
 A T I O R  
 I C A T I O.  
 io Postrema  
 mis locis emendata.



VI Æ AGRIPPINÆ  
 HELMI METTERNICH  
 permissu Superiorum.  
 M. DC. XC VII Æ

